Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/decultuacusulumi00stoc

DE CULTU AC USU LUMINUM ANTIQUO.

Qui qualis fuerit
In omnibus Antiquorum Sacris, Delubris, Oraculorum Antris, Conſecrationibus, Auguriis, Luſtrationibus, Bello, Triumphis, Puerperiis, Nuptiis, Funerumque proceſſu, reliqua
Ex omni antiquitate oſtenditur.

ACCEDIT

Ulterior de Myſterio Cereris Eleuſiniæ, raptuque Proſerpinæ accenſis Facibus quæſita ac dein culta explicatio.

Ex Bibliotheca
J. H. Hadermanni.

AUTOR
H. C. L. STOCHAUSEN.

TRAJECTI AD RHENUM,
Apud G. KROON & A. HOFMAN,
MDCCXXVII.

VII a 11/2

ILLUSTRISSIMO

ATQUE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

CHRISTOPHORO DE KATSCH,

HÆREDITARIO

DNO. IN DOEBRITZ.

SACRATISS. BORUSS. REGIS MAJEST. RERUM BELLI PACISQUE SANCTIORI ADMINISTRO.

ILL. COLLEG. CRIMINAL. PRÆSIDI GRAVISSIMO.

CAUSARUM MILITARIUM JUDICI GENERALI.

PATRONO INDULGENTISSIMO

LIBELLUM SUPPLICEM
ANIMO DEVOTISSIMO

OFFERT. CONSECRAT.
DEDICAT.

HENRICUS CHRISTIANUS
LUDOVICUS STOCKHAUSEN.

PRÆ-

PRÆFATIO.

AD

LECTOREM.

MIrum ſemper, a quo tempore, ſtudiis operam navare ſtudui, rituum apud antiquos obtinentium, notitiam acquirendi deſiderium me tenuit, atque utinam per temporis, quod vivimus, injuriam licuiſſet, quod alienis negotiis dandum, id privatis ſtudiis, in eruendis antiquorum monumentis, laboris impendiſſem. Nec tamen ita ſua-

viſſimi hujus ſtudii amorem exui, ut non eo ipſo, ſucciſivarum horarum tædium fefellerim, quarum cum aliquot ante annos germanico idiomate partus in lucem emiſerim, humaniter ſat, ni memet ipſum vehementer fallit animus a Doctis exceptos, hunc quoque, quem vides, publici juris facere non erubui. Tu L. B. rimare, ut palato ſapiat, atque ſi quid ſubinde grati, ſi quid jucundi reperturus es, autori fave, brevique alium ejuſdem odoris exſpecta.

DE

DE
CULTU AC USU
LUMINUM
ANTIQUO.

DE CULTU ET USU LUMINUM ANTIQUO.

Caput Primum.

Exordium ac inſtitutum operis de Luminum in Judæorum Sacris ac die Feſto Purificat. Mariæ uſu.

§. I.

RAptum Perſephones, nuptias Orcinas, Cererem accenſis facibus raptam natam quærentem, inde natum luminis cultum, nata myſteria Eleuſinia, reliqua ſacra accenſis luminibus celebrata, luminum ſollennem uſum in luſtrationibus, puerperio, nu-

ptiis, expeditione navali ac terreſtri in triumphis, proceſſu denique funerum omnibus antiquorum annalibus celebratum proſequor. Hæc antiquæ ſupetſtitionis veſtigia deleta miſeris demum affulgente luce Euangelii & cultus veri Dei purioris, caſtioriſque oſtendam. Nec eſt abs re, illa gentilium myſteria, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati ſunt, (*a*) expoſuiſſe, unoque volumine illa ad poſteritatem tranſmiſiſſe, quæ hactenus doctorum virorum vix unus & alter paſſim hinc & inde monuit. Nec alienum a juris prudentiæ ſtudio, ad quod me contuli, arbitror myſteria Cereris excuſſiſſe, quam inter ſapientiæ genios tutelares nominant antiqui, (*b*) Legiferamque aut Θεσμοφόρον dicunt, ut quæ primas antiquiſſimaſque leges mortalibus condiderit. (*c*)

N O-

NOTÆ.

(*a*) His myſteriis omnem ſapientiæ laudem veteres complectuntur. His fabulis Philoſophiæ dogmata elegantiſſima poſteris tradunt. *Multa conficta a* Poetis *eſſe* arbitratur Cicero in Oratione pro Roſcio cap. XVI. *ut effictos noſtros mores in alienis perſonis expreſſamque imaginemque noſtræ vitæ quotidianæ videremus.* Idemque de Legibus Lib. II. cap. XIV. & de myſteriis Epictetus lib. III. cap. XXI. Ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ὑπὸ τῶν παλαιῶν.

(*b*) Vid. Hornium *in Hiſtor. Philoſoph.* lib. I. cap. VI,

(*c*) Plinius *in Hiſtor. natural.* lib. VII. cap. LVI. Eduardus Herbertus de Cherbury *de Religion. gentil. cap.* XII. p. 141. Cicero *in Actione Verrina* V. cap. LXXII. *Teque Ceres & Libera* (imploro atque appello) *a quibus initia vitæ atque victus Legum, Morum manſuetudinis humanitatis exempla hominibus & civitatibus data ac diſpertita eſſe dicuntur.* Romanis exinde natum Legiferæ nomen, Græcis τοῦ Θεσμοφόρου, qui etiam Θεσμοτήτην appellare ſolebant. Vid. Faſoldum *de Feſtis Græcor.* Decad. XI. Feſt. n. 2. & Meurſium *in Themide Attica* lib. I. cap. I. ab init. & ſæpius antiquis marmori-

bus hoc nomen inciſum reperies. Habes apud Janum Gruterum *in Volum. inſcript.* p. CCCIX. n. I. ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ ΜΥΣΤΩΝ ΤΗΣ ΜΕΓΑΛΗΣ ΘΕΑΣ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ ΔΗΜΗΤΡΟΣ. Huic Cereri legiferæ in Argolide templum ſacrum teſte Wolfgang Lazio *in Græc. Antiq.* lib. II. cap. IV. & dedicatum quoque a Thebanis in urbe Thebarum gravi annona frumentum ſerere edoctis, eo tempore quo Erechtheus rerum in Attica potitus erat. Wolfgang Lazius d. tract. lib. I. cap. VIII. Fanum Cereris τῆς Θεσμοφόρου & Proſerpinæ Attici conſecrarunt, teſte Meurſio *de popul. Attic. voc.* ΑΛΙΜΟΥΣ p. 691. Præter hanc Bacchum quoque Θεσμοφόρον appellarunt. Joannes Nicolaus *de Ritu Bacchanal.* cap. VI. fin. & Joannes Meurſius *in Heraclide* p. m. 689. B.

I I.

Luminum uſum antiquum in ſacris quod attinet, negandum non eſt, a Judæorum ſacris quædam haurire gentiles potuiſſe. Nullum fere ſacrificium ſine igne Judæis, ac magna ſacrificiorum autoritas, quæ Deus ipſe præſcripſit. (*a*) Egreſſis ex Ægypto Iſraelitis, cum taberna-

culum

culum fœderis Dei juſſu ac lege lata conderet, lychnuchum aureum confici curavit, quem ſeptem lampadibus effulgentem in illa tabernaculi parte conſtituit, qua ad meridiem vergit. (*b*) Ac hunc quidem morem Judæorum poſteri ſancte caſteque ſervarunt, demum Salomo rex magnificum illud Hieroſolymes templum extrui curavit, cui præter cætera antiqui tabernaculi ornamenta ſanctum quoque candelabrum lampadeſque noviter confectas intulit ac in choro collocavit, quem illuſtrarent. (*c*) Et hoc quidem SUMMI NUMINIS majeſtati maxime proprium atque conveniens, qui ſedes templi obſcuriores arridere ſibi edixerat. (*d*) Equidem poſtea expugnatis deletiſque a Nebucadnezare Hieroſolymis res omnes ſacras vaſaque ſancta e templo Babylonem hoſtes Iſraelitarum abduxere, (*e*) at Cy-

rus, conlapſa totius Babyloniorum imperii gloria, ubi rerum apud Perſas potitus eſt, primo imperii anno omnia ablata Judæis quondam vaſa ſacra templique ornamenta e templo Babyloniorum ſuſtulit ac Sesbazari reſtituit, negotiumque dedit, ut illorum Judæis copiam faceret, qui diuturnis captivitatis laboribus exhauſtis templum ruinis totius urbis conlapſum inſtaurare cupiebant. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Negat Bellarminus *de Miſſa* lib. I. cap. xx. & Hugo Grotius *ad Geneſeos* cap. iv. verſ. 3. ad Exodi cap. xv. verſ. 26. a contrarium ſatis monſtrant illa, qua Andreas Rivetus *in Geneſin exerc.* xlii. & Wolfgang Francius *de Sacrificiis Diſp.* I. II. III multis comprobant.

(*b*) *Vid. Exodi* cap. xxv. verſ. 31. ſeqq cap. xxxvii. vſ. 17. 18. ſeqq. & cap. xl. v. 24, 25. Dn. Franciſcum Buddeum *in hiſtor eccleſ. Veter. Teſtam. Tom.* I. Sect. II. § xxxii

xxxii. p. 690. Gregorium Tholoſanum *de Republica.* lib. xii. cap. xxi. §. xii. Cæterum de ignis uſu apud Judæos ex inſtituto Moyſis vide Grævium *Antiquitat. Romanar.* Tom. v. p. 691.

(*c*) *Liber Chronicor.* ii. cap. iv. vſ. 20. 21. Decem fuiſſe in templo Salomoneo candelabra conſtat, quinque ad latus meridionale, quinque ad latus ſeptentrionale, an autem in ſingulis candelabris arſerint lampades, incertum. Dn. Buddeus c. l. Tom. ii. Per. ii. Sect. iii. §. xxiv. p. 252. In genere de ignis uſu in templo condidit Hebenſtreit *in Epiſcopo Milite.* p. m. 65.

(*d*) *Regum* lib. i. cap. viii. vſ. 12. & *Chronicorum* lib. ii. cap. vi. vſ. 1.

(*e*) Liber *Regum* ii. cap. xxv. vſ. 15. *Chronicor.* lib. ii. cap. xxxvi. verſ. 18. 19. Buddeus c. l. Tom. ii. Per. ii. Sect. iv. §. xxviii. p. 580.

(*f*) *Eſra* lib. v. vſ. 14. Buddeus d. Tom. ii. Sect. v. §. viii. p. 821. 822. ſeqq. Sect. vi. §. i. p. 895. Dapperi *beſchreibung Paleſtinæ.* p. 265. A. Gregorius Tholoſanus *de Republica* lib. xii. cap. xxi. §. xvii. Templi ab Eſdra ædificati gloria non acceſſit ad templi Salomonæi ſplendorem, nec adfuit arca, nec ignis, neque oleum unctionis atque אורים ותומים ſcribente Galatino *contra Judæos* lib. iv. cap. ix. Cunæus *de Republ.*

Hebræor. lib. II. cap. XII. XIII. XIV. Hornius *in Hiſtor. Eccleſ.* Per. III. Art. I. §. I. Hoornbec. *de Converſ. Judæor.* p. 155.

III.

Templum inſtauratum vaſisque ſacris exornatum ad tempora uſque illa floruit, quibus Antiochus rex Syriacus Judæam invaſit omniaque ignibus ac ferro delevit. Templum devaſtatum omnibuſque ornamentis ſpoliatum Judas Maccabæus victor reſtituit, damna data reſarcivit lampadeſque extinctas accendit candelabro noviter ex auro conflato. (*a*) Magnus quoque Herodes Judæorum rex exſtructa ornataque Cæſarea, conditiſque paſſim in honorem Deorum delubris, regiis ſumptibus, ut Judæorum quoque animos delubris gentilium infenſos demulceret, Templum Hieroſolymitanum magnifice ornavit, & ſplendorem antiquum reſtituit. (*b*) At

ela-

elapſis annis paucis, cum rerum ſumma ad Titum Veſpaſianum devolveretur, expugnatæ Hieroſolymæ, incenſum templum, ac omnia antiquorum ſacrorum veſtigia deleta.

NOTÆ.

(*a*) I *Maccab.* cap. IV. vſ. 49, 50. Buddeus *in hiſtor. Eccleſ. Veter. Teſt. Tom.* II. *Per.* II. *Sect.* VII. §. II. *p.* 1132. In memoriam cultus divini reſtituti, ſpeciatim altaris ſolenni ritu dedicati feſtum aliquod inſtitutum, quod *feſtum luminum* appellatur, eo quod illis præter ſpem tanta felicitas ſubito illuxiſſet. Zonaras Annalium Tom. I. p. 147. Flavius Joſephus *Antiquit. Judaic.* lib. XII. cap. XI. conf. Dapperi *beſchreibung Paleſtinæ.* p. 265.

(*b*) Dapperi *beſchreibung Paleſtinæ* p. 276. A. Greg. Tholoſanus *de Republica* lib. XII. cap. XXI. §. XXI. Joſephus *Antiquit. Judaic.* lib. XV. cap. XIV. & *de bello Judaico* lib. I. cap. XXVII.

IV.

Gentilium ſuperſtitionem, qui raptam a Dite Patre Proſerpinam

filiam Cereris fingunt, Cereremque hanc accenſis ad Ætnam montem facibus quæſiviſſe commemorant, ac Eleuſinia Sacra Orcinaſque nuptias accenſis luminibus facibuſque celebrarunt, Chriſtiani poſtea abrogarunt, atque in illorum ſacrorum locum *Feſtum Purificationis* Mariæ ſubſtituerunt, (Germanis dictum *Lichtmeſz*) luminibus atque cereis accenſis concelebrandum. Atque hæc dies quidem, ut fatear, me, ut aliquid de luminum apud antiquos cultu ac uſu ſcriberem, induxit. Magnum quovis tempore nomen fuit diei purificationi Mariæ Sacræ. (*a*) Omnes qui primis poſt Chriſtum natum ſeculis floruerunt epiſcopi aut eccleſiæ doctores declamationibus aut ſcriptis concelebrarunt. Major quoque hujus diei apud Romanæ eccleſiæ aſſeclas enituit gloria, qui Mariæ ſub tutela ſe requieſcere exiſtimabant, ac veluti

ti numen & ſidus divinitus ortum ſupplices venerabantur (*b*).

NOTÆ.

(*a*) Græcos reperio menſem Februarium ab hujus diei celebritate auſpicatos, nec Palæſtinæ ac Phœniciæ incolas ejus expertes reperio. Habes de Hypapante ſive occurſu Domini laudes prolixe congeſtas *in oratione* Sophronii *Archiepiſcopi Hieroſolymitani*, quam ex MCto Græco Medicæo Regis Franciæ nobis Bollandus & Henſcenius *in magno Actorum Sanctorum opere Menſis Februarii* Tom. I. ad diem II. conſervarunt. Methodius primo Olympi ac Pataræ maritimarum Lyciæ urbium ac poſtea Tyri in Phœnicia primus epiſcopus, quem laudat Hieronymus *de Scriptorib. eccleſ.* cap. LXXXIII. peculiari homilia ſummis laudibus mactavit. excerpta habes apud Bollandum & Henſchenium *in Actis Sanctor. Februar.* Tom. I. p. 268. qui præterea complura ab antiquis in hujus diei laudem recitata ac ſcripta congerunt. Eadem pluribus illuſtrat Maimbourg *dans l'hereſ. des Iconoclaſtes* Tom. II. liv. v. p. m. 136. 137. Græcis dicitur feſtum Hypapantes ab illo ὑπαντῇ & ὑπαντάω, quo de nomine pluribus Rabanus Maurus *Operum Tom.* VI. *lib.* II. *de inſtitut. clericor.* cap. XXXIII. inclaruiſſe com-

pluribus miraculis hunc diem volunt, quorum habes veſtigia in vita Walteri de Birbecke cap. 11. apud Bollandum *in Actis Sanctorum ad diem Januarii* XXII.

(*b*) Cultus Mariæ magnæ matris Dei maximi deſcendit potiſſimum ab impietate Neſtorii, qui Chriſtum dividebat, duos conſtituens filios illumque ex Maria genitum Deum eſſe negabat. Tum qui eccleſiæ occidentis ac orientis præerant Doctores iterum iterumque ſuis inculcabant, quod Μαρία Θεοτόκος fuerit. Pingi quoque ſolita identidem Maria Jeſum parvulum brachiis ſuſtinens. Ventum inde ad venerationem matris abſque filio, hoc tanquam appendice picturæ addito. Concionatores & ſcriptores impotentia quoque vulgi abrepti omiſſa Chriſti mentione Mariam encomiis ſubinde novis coluerunt ac demum circa annum 1050. officium quotidianum in ſeptem horas Canonicas diſtinctum inſtituerunt. tum nova quotidie incrementa cultus Mariæ cœpit, Seculo XII. Canonici Lugdunenſes, Divus Bernhardus, Doctores ſcholaſtici aliique totius veluti præſidem eccleſiæ intuebantur, ac perſuaſerunt plebi quoque. vid. Petrum Suavem *in Hiſtor. Concilii Trident.* lib. II. p, 159. Niſanium *contra Concil. Tridentin. diſp.* IV. §. XII. p. 95. ſqq. Abrahamum Calovium *in Exegeſi Auguſt. Confeſſ. Art.* II. cap. II. §. 2. ſqq. Infinita ſunt, quæ

quæ Mariæ elogia leguntur. Reginam cæli dicunt, ac diviſum cum Deo imperium habere. Gabriel *in Canon Miſſ Lect.* LXXX. appellandum ad ipſam Dominam veluti & reginam abſolutam ait Jacobus de Voragine *Sermon.* XVII. fol. 10. ſq. Mundum univerſum gubernari ac conſervari ſcribit Andreas Coppenſtein. *in Alano Redivivo* Part. II. cap. VI. p. 115. cap. VII. p. 119. cap. VIII. p. 127. Deo ipſi, ut mater filio imperare blaterat Pelbartus de Temeswer *in ſtellar. coron.* lib. XII. Part. II. cap. VII. adde quæ multis pro divinitate illius adſtruenda ſcribit Hiſpanus Jeſuita Ferdinandus Quintus a Salazar *Comment. in prov.* c. VIII. v. 1. p. 544. 545. ſqq. n. XII. XIII. LIV. LXIV. LXXX. LXXXI. LXXXIII. CXIV. ſqq. Bonarſcius ſive Scribanius *in theatro honor.* lib. III. p. 373. Juſtus Lipſius *de D. Virgine Hallenſ. lib.* I. *cap.* XXXVI. p. 29. Vincentius Brunius *in Medit. de præcip. myſter. vitæ & paſſion. Chriſti* Part. I. medit. I. p. 13. Maxim. Sandæus. *in Orat. de patrocin. Deipar.* p. 459 Gabriel Barletta *Sermon.* XVIII. fol. 43. Joannes Oſorius Tom. IV. p. 33. Baronius *Annal. eccleſ.* Tom. XI. ad ann. 1002. n. XII. aliique mille.

§. V.

Seculo ſexto poſt C. N. ac poſt cum peſtilentia fœda eſſet (*a*) rerumque potirentur Juſtinianus & illo fatis functo alii major hujus diei gloria eſſe incoepit. (*b*) Deinde quoque ab orientali eccleſia in occidentalem tranſiit, quæ etiam in martyrologiis ſuis Græcum τῆς ὑποπαντῆς vocabulum retinuit. (*c*) Luminum tamen uſus ante Concilium Toletanum per annos 600. in eccleſia veteri incognitus fuit. (*d*) Demum Papa SERGIUS II. anno DCCCCXLIV. ſolenni hujus diei proceſſioni proſpexit ac lumina circumferri juſſit. (*e*) Hunc morem poſteri ejus ſtudioſe ſervarunt, cereiſque accenſis templa ſollenneſque proceſſus adornarunt.

NOTÆ.

(*a*) Vid. Carolum Sigonium *de Regno Italiæ lib.* I. *ad ann.* 589. 590. 591. qui multis ea perſequitur.

(*b*) Vid.

(*b*) Vid. Nicephorum *hiſtor. eccleſiaſt.* lib. XVII. cap. XXVIII. Theophylactum Simocatta *Hiſtoriar.* lib. VIII. cap. IV. Codinum Curopalatam *de offic. eccl. & Curiæ Conſtantinop.* cap. XV. n. VIII. cum primis Arnoldi *Kirchen und Ketzer Hiſtorie* Tom. I. lib. VI. cap. II. §. VIII.

(*c*) Vid. autorem *de Hypapant. Domini* §. IV. n. 16. in Actis Sanctorum *Februarii* Tom. I. ad diem II. Sic antiquum Martyrologium a Rosweydo editum, Uſuardus, Ado, Bellinus, Mſtum Leodienſe, Sti Lamberti & Aquis Granenſe IV. *Non. Februarii Hypapante Domini.*

(*d*) Hunnius in *Apoſtaſ. eccleſ. Roman.* § CCIX. p. 197.

(*e*) Bernhardinus in Marial. I. *Sermon.* p. 7. Hogelius *de immacul. concept. ſolius Chriſti Mariæ vero macul.* lib. II. Sect. II. cap. VI. §. XV. p. 273. ſq. Fridlebius. *A. H. Secul.* X. Sect. II. p. 92. mutuatum hunc ritum luminarem a Judæis exiſtimat Marſilius *in Columna Hydragiol* Sect. II. cap. II. §. XIII. Hunc ritum urget, luminumque uſum in Hypapante Domini commendat Sophronius *Archiepiſcopus Hieroſolymitanus in orat. de Hypapant. cap.* II. §. VII. Beda *Operum Tom.* II. *tr. de ratione tempor.* cap. X. & Eligius *epiſc. Nomiomenſis in purif. Mariæ feſtum homil.* II. Apponam verba Cyrilli ſeculo IV. *epiſcopi Hieroſo-*

roſolymitani, de quo Hieronymus *de ſcriptoribus Eccleſ.* cap. CXII. memoriæ prodidit. Is Cyrillus orationem græcam die Hypapantes habuit, quam poſteritati conſervatam Latinitate donavit Laurentius Sifanus, & publici juris fecit Combefiſius *in Auctar. ad Biblioth. Maxim. Patrum.* Ita in exordio orationis verba feciſſe lego: *Gaude*, inquit, *filia Sion, prædica gaudium filia Jeruſalem, choros duc popule civitatis Dei, geſtite portæ & muri Sion omnisque terra: clamate montes, colleſque magna gaudii ſignificatione exultate, flumina plaudite manibus, ac turbæ amplexamini Sion, quæ Deum in ea præſentem videtis. Conſpirent ac conſentiant hodie cum terrenis cæleſtia, ſupernaque Jeruſalem cum ea, quæ inferne ac in terris eſt propter Chriſtum in illa cæleſtem atque terreſtrem canticis celebret. Hodie namque viſus eſt Deus Deorum in Sion. Hodie glorioſa de te dicta ſunt civitas Hieryſalem, civitas regis magni: aperi portas ei, qui univerſis cælorum aperuit portas, quique in cruce ſepulcrorum portas aperuit. Hodie, qui olim Moyſi in monte Sina Deo congrua ratione reſponſa ediderat, ſervilem in modum legem implet. Hodie Deus a Theman in Sion venit. Hodie cæleſtis ſponſus cum Dei genitrice, ſuo illo thalamo templum petit. Filiæ Hieryſalem ei in occurſum exite. Lætis gaudiis vero lumine lampades accendamus animorum tunicas ſponſo*

Chriſto

Chriſto aptemus. Populi gentium una cum Sion manibus præferentes faces obviam procedamus in templum, una cum templo Deoque ac Chriſto pariter ingrediamur. Magni hos cereos fecit Anſcharias morti proximus, qui ipſo purificationis Mariæ die tres ſibi præferri cereos juſſit ac paulo poſt extinctus eſt. *Vita* J. Anſcharii apud Henſchenium. *in Actis Sanctor. Februarii* Tom. I. ad diem III. de Baronio præſertim vide Gregorium Frizonium *in Vita Baroniis. Purpuro ſancta* lib. III. cap. XII. p. 226.

VI.

Sunt præterea, qui non Sergium Pontificem auctorem hujus luminum feſtivitatis, ſed Vigilium exiſtiment, qui eadem Anno poſt Chriſtum natum DXL. accendi juſſerit. (*a*) Alii nec Sergium nec Vigilium, ſed Gregorium magnum Pontificem nominant, (*b*) quæ dubia ut ſolvant recentiores Pontificiorum, Vigilium dicunt feſti, Gregorium magnum Proceſſionis in eo ſolitæ, Sergium demum luminum in eo conſecrando-

do-

dorum auctorem fuiſſe. (*c*) Præter Hypapantem Domini cultum quoque in eccleſia Romana feſtum Paſchatis luminibus lego, qui cultus illo fuit antiquior. Zoſimus quippe hujus nominis primus anno Chriſti 417. cereos in ſacro paſchatis die accendi juſſit, (*d*) quem poſtea morem anno 641. Theodorus Pontifex adprobavit. (*e*) quare origo luminum ne quidem diei purificationis Mariæ propria, ſed potius ad alios ritus referenda, qui antiquiores fuſiuſque hîc pertractari poſſent, ſi inſtituti limites non excederent.

NOTÆ.

(*a*) Paulus Diaconus *de feſtis Romanor.* lib. XVI. Centuriatores Magdeburgenſes centur. VI. col.673.

(*b*) Jacobus de Voragine Sermon. LXXXII. de ſanctis.

(*c*) Hoſpinianus *de feſtis Chriſtian.* fol. 35. b.

(*d*) Rolfinck *in faſcic. tempor.* fol. 50. b. Pla-

b. Platina in vita Zoſimi p. 58. Polydorus Virgilius *Rer. inventar.* lib. VI. cap. VII. p. 430. Durandus *in ratione divin. offic.* lib. VI. cap. LXXX. § 2.

(*e*) Rolfinck cit. loc. fol. 59. b. Hunnius *in Apoſtaſ. eccleſ. Roman.* §. CCIX. p. 195. ſqq. Bejerlink *in Concion. Select.* Conc. XLVII. pag. 847. Baronius in *Annal. eccleſ.* Tom. I. ad ann. 58. n. LVI. Virtutem Paſchalium candelarum multis prædicat Urbanus quintus Pontifex, miſitque imagunculas quinque hac ratione conſecratas benedictaſque imperatori Palæologo additis inſuper hiſce verſiculis:

Balſamus & munda cera, cum chriſmatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum per myſtica ſanctificatum,
Fulgura deſurſum depellit & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis & angit;
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur:
Dona defert dignis virtutem deſtruit ignis;
Portatus munde, de fluctibus eripit unda?

Vid. Abrahamum Bzovium *in Annal. eccleſ. ad ann.* 1367. no. IX. Hunnium

nium *in Apoſtaſ. eccleſ. Romanæ* §. CCIX. p 196. Gerhardum *Diſputat. Academicar.* Part. I. diſp. III. *de corruptel. Pontific.* §. XXV. p. 340. Hoſpinianum *de Orig. feſtor. Chriſt.* fol. 66. Rivetum *in Catholico orthodoxo* Tom. I. tract. XII. qu. XVII. Joannem ab Hammerſtede *in meretrice Babylonica* cap. VI. p. 113. ſq. & Steinbergium *in idea Papiſmi* Part. I. cap. III. p 101. Noti quoque agni Paſchales cerei, quos Pius quintus pro amuletis, quibus milites ab ictu globulorum immunes facti conſervavit. Bejerlinck *in Theatro vitæ* lib. I. p. 410. Dieterich *in Breviar. Pontif.* in Pio V. p. 398.

VII.

Unum inſtar omnium nomino ritum accendendi cereos in ipſa ſacræ ſynaxeos adminiſtratione actuque ſolenni. Provecta jam nocte Salvator convocatis Apoſtolis cœnam inſtruxerat, quam omni poſteritati ſacram ſolennemque eſſe voluit. Fluxit exinde mos, ut luminibus cereiſque poſteri ſanctiſſimum actum adornarent, quod noſtro

noſtro quoque tempore obtinere neminem latet. Et qui Romanam fidem ſequuntur, in ſacrificio Miſſæ luminibus cereiſque omnia illuſtria volunt, inſtituto laude digno, quod temporis antiquiſſimi & antiquioris faciem refert.

CAPUT SECUNDUM.

De origine cultus ac uſus Luminum antiquiſſima, a raptu Proſerpinæ Myſteriisque Cereris repetenda.

I.

LUminum uſus frequens in die Hypapantes natales ſuos, quod ſupra jam monui, debet Orcinis paganorum nuptiis luminibus atque cereis inclytis. Fœdam ſuperſtitionem Ethnicorum tollere cupientes antiqui Chriſtianorum luminibus lampadibuſque orto

non

nondum ſole, ac dein tenebris diſcuſſis rem divinam fecerunt, ſuamque in his ſacris obeundis pietatem poſteritati commendarunt. Sed circa originem nuptiarum Orcinarum ac luminum, quibus enituerunt, paullo accuratius inquirendum. Maximi ſunt ponderis, ut ſtylo antiquorum & genio loquar, quæ de myſteriis Orcinis memoriæ antiquiſſimi ethnicorum prodiderunt. Quæſierat Ceres accenſis facibus raptam a Dite patre Proſerpinam, eamque filia nequaquam inventa ingens luctus oppreſſerat. Hujus luctum, ita opinantur, Eleuſiniis ſuis myſteriis imitari accenſiſque facibus (& Ceres dum filiæ raptæ veſtigia quæreret accendiſſe faces perhibetur,) minui voluerunt, eo conſilio, ut Deos ſuos ſibi conciliarent, dulciſſimæque Cereris numen propitium ſibi haberent. Hæc ita fore plebi

erat

erat perſuaſum, ſi lugubri querela luctum Cereris ad poſteros transmitterent, tantarumque rerum geſtarum memoriam elabi nunquam ex animis ſinerent.

I I.

Fuiſſe nonnullos antiquiſſimorum temporibus arbitror, qui iſta ſomnia ac mendacia riderent, eoque nomine ethnicorum pontificum gloriæ detraherent. Quid ergo faciendum in re miſera. Poëtis rem dederunt, quibus erat proprium Deorum laudes, ſacra, cultum carminibus efferre, ubi pleraque veris majora magis quam vera eſſe ſolebant. Omnium fere gentium hic fuit mos, ut res ſacras non niſi carmine conſignarent & verſuum elegantia animos jam ſuperſtitione captos irretitos tenerent, ne aliquando fraudes pontificum emunctæ naris homines indagarent. (*a*) Inde magna Poëta-

tarum dignitas, quos divinæ atque humanæ ſcientiæ ſtatores & ſapientiæ miniſtros noverant, nemine præſertim ad illas res animum advertente, quæ ſapientum eſſe propriæ credebantur. (*b*) Deinde hoc fuit inprimis ſacrorum vaniſſimorum incrementum, quod omnia ſilentio colerentur, atque a plebis cognitione eſſent aliena. Sic illa Cereris Eleuſinia myſteria & ἀπὸ τȣ̃ μύειν τὸ ϛόμα dicta, quæ ſi quiſquam vulgare inſtituiſſet capitis pœnam ſubire debuit, (*c*) quod de aliis quoque ſacris verum. (*d*)

N O T Æ.

(*a*) Promos condos antiquorum more Poëtas dixeris, qui ſplendidis ſuis & jucundis, ut ait Jo. Jacob. Hellerius de Deo ignoto Athenienſ. §. 1. mendaciis rudem plebem deciperent. Nulla myſteria, nulla ſapientiæ laus, quæ non penes poëtas. Ita Orphei hymnos, qui ſuperſunt, arcanis myſteriis refertiſſimos dicit, vir immortalis memoriæ Stephanus Pighius in Themide Dea

Dea apud Gronovium Antiquitat. Græcar. Tom. IX. p. 1147. E. Omnes fere gentes myſteria ſua Poëtarum carmina celebrare voluerunt. De Gallis res eſt clara, apud quos non tantum heroum laudes, verum etiam de immortalitate animæ myſterium verſibus celebratum. teſtis Dionyſius Voſſius *in Commentario ad Cæſarem de Bello Gallico* lib. VI. cap. XIV. elegantiſſimo. De Germanis eadem fere Tacitus *libro de Germanorum moribus* conſignavit. De Turdulis gente Hiſpanica, ſic Strabo: *Antiquitatis habent monumenta conſcripta ac poëmata & leges metris incluſas, a ſex ut ajunt annorum millibus.* Idem Mazacenorum in Cappadocia legum interpretem appellat νομῳδὸν i. e. *legum decantatorem*; Et Zoroaſter primus ille divinarum humanarumque inter homines ſcientiarum doctor, Hermippo apud Plinium teſte, de Philoſophia ſua vicies centum millia verſuum compoſuit. Montanus *ad Cæſarem* p. 211. (edit. 1651. in 8. Lugd. Batav.) Dani quoque in ſuis Eddis i. e. Odis ſacra conſignarunt, quod doctiſſimus Thomas Bartholinus *in Antiquit. Danic.* lib. I. cap. XI. p. 192. (*edit. Hafn.* 1689. *in* 4.) annotavit. Elegantia non omnibus deeſt, ni, quod aliis videtur, Semundus, qui vixit Seculo XI. & ejuſmodi Odas collegit, elegantiorem dictionem, quam priſtina illa tempora patiebantur, affinxerit. De Græcorum ac Romanorum Poëtis notum, quam

B quod

quod notiſſimum. Si non ipſi Poëtæ Deorum laudes & heroum geſtas res canerent, ipſi milites hos imitati fuerunt, qualem apud Romanos in triumphis morem obtinuiſſe refert. Jul. Cæſ. Bulengerus *de triumph. Spol. Bellic. & tropæis circ. init.* cap. XXXII. Franciſcus Modius *de triumphis Veter.* lib. I. cap. III. fin. *juncto* cap. VIII. d. lib. I.

(*b*) Hæc Pighius *in Themide Dea* p. 1149. C. iiſdem fere verbis ſcripſit.

(*c*) Meurſius *in Eleuſiniis* cap. xx. Suidas ait: *μυςήρια ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ ςόμα.*

(*d*) Nulla gens myſteriis religionis occultandis quam Ægyptiaca intentior. inde Hieroglyphica, figuræ, imagines, umbræ potius religionis, quam ipſa. Fatetur Jacobus Triglandius *in Conjectan. de Dodon.* cap. IV. §. IV. Sacris initiati ſacramento adacti, ne cognitis rebus aliquid effutiant: unde eſt illud Herodoti lib. II. de Ægyptiorum Theologia, quam, dum iter faceret in Ægyptiis, cognoverat, narrantis: *Verum quæ mihi de Diis narrarunt, ea ſcriptis exponere non libet, niſi nomina eorum tantum.* Cluverius *ad Cæſarem pag.* 272. (*edit.* 1651. *Lugd. Batav.*) Altioris indaginis ſunt, quæ de Cerere memoriæ prodidit Cicero. *in Verrina* IV. cap. XLV. *Sacrarium*, inquit *Cereris eſt apud Catinenſes, eadem religione, qua Romæ, qua in cæteris locis, qua propria in toto orbe terrarum. In eo ſacrario intimo fuit ſignum Cereris perantiquum, quod viri non modo,*

modo, cujus modi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant. Ita Veneris quoque Aphrodiſia myſteria dixerunt, apud Meurſium *in Græcia feriat.* lib. I. voc. ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ. Erant Romanis loca, quæ præter Virgines Veſtales & Sacerdotem publicum intrare nemini licuit. is cum iret, ne ſuffibulum quidem habere licuit. Baptiſta Caſalius *de Inſign. Fibul. &c.* cap. IV. Ancilium ſumma religio iiſdem, quæ luſtrare profanis oculis nefas, & ſacrilegii reum videas, cui nimis illa ſacra cognita. Joſ. Laurentius *de Re Veſtiar. cap.* IV. Ne quidem ſacris operam dare hominibus profanis integrum, quod Naupactiorum exemplnm declaravit apud Pauſaniam *in Bœoticis p.* 579. Ipſa Deorum ſigna ita pingi ſolita, ut fida eſſe, ita loquuntur, ſilentia ſacris appareret, cujus admodum illuſtre exemplum habes apud Laurentium Pignorium *in Magna Deum Matris Idea & Attid. init.* p. m. 511. C. D. Silentio Sacrorum atque myſteriis addebant præſtigias, quo efficacius multitudinem regerent. Sic redditus ſonus e quercu Dodonæa fraude pontificum, quod recte conjicit Jacobus Triglandius *in Conjectan. de Dodone.* cap. IV. §. VII. cap. VIII. §. II. &c.

III.

Non tamen abnuere auſim his fabulis quandam Philoſophiæ ſuæ & Theologiæ partem Ethnicos voluiſſe complecti. (*a*) Raptus ille Proſerpinæ apud veteres illas gentes, quibus lux veritatis nondum affulſerat, fuit imago, quæ exprimeret conditionem, qua omnia vitæ & ſtudiorum ſubſidia mortalibus a Deo conceſſa. Præſertim agrorum culturam & ſationem frugum adumbrarunt, quam excepit vita civilis & reipublicæ incrementum.

NOTA.

(*a*) Certe gentiles cum Macrobio *in Somn. Scipionis* lib. I. cap. II. *non omnibus fabulis repugnare Philoſophiam, nec omnibus acquieſcere* exiſtimabant.

IV.

Tribus potiſſimum myſterium de

de Raptu Proſerpinæ perſonis abſolvitur, Cerere, Proſerpina & Dite Patre. Ceres magno in honore antiquis ſemper habita, maximiſque ſacris & laudibus culta. Illam credebant orbis utriuſque communem parentem, Deam tutelarem ac matrem. Hæc docuiſſe mortales vitæ felicioris conditionem fingebatur, & reipublicæ attuliſſe incrementum. (*a*) Vix gentem reperias, cui ignota Ceres. Uno nomine quamvis non omnes colerent, omnes tamen peculiare nomen ipſi indidiſſe patet. Sic Iſidis nomine illam Ægyptii (*b*) alii Lyſiæ, aliæ gentes Dionis aut δήμητρος circumferunt, alii nominibus aliis intelligunt. (*c*) Mihi omnium longe clariſſimum nomen videtur τῆς μεγάλας μητρὸς, aut quando μήτηρ Θεῶν diceretur. (*d*) Almam plerumque ob præclara ejus in genus humanum profecta merita dixere. (*e*) Fla-

vam modo, (*f*) Floridam modo (*g*) viridemque (*h*) ob egregium terris colendis adhibitum ſtudium appellarunt. Præterea varia ſacra in ejus laudem inſtituta, (*i*) dicatæ imagines ſplendidiſſimæ, (*k*) Flamines, pontifices, ſacerdotes creati, qui myſteriis præeſſent numenque exoratum piaculis emollirent, aut perpetuam Deæ benevolentiam patriæ ſervarent. (*l*) Addita templa Romæ, (*m*) a Græcis (*n*) aliiſque gentibus, ut videri volebant, moratioribus, adeoque effecerunt, ut non tam celebris inter Divos Juppiter, quam in terris Ceres haberetur.

N O T Æ.

(*a*) Cererem exiſtimabant mortales docuiſſe vertere terram aratro, teneriorisque victus delicias, cum antea glandibus paſcerentur. Ovidius *Metamorph.* lib. v. vſ. 341. ſq.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

&

& *Faſtorum* lib. IV. vſ. 401.

Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coëgit,
Tum primum ſoles eruta vidit humus.

Eadem adſtruit. Lucretius lib. II. vſ. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. & Guido Pancirollus *in notit. dignit. imper. Occident.* cap. IV. Munus illius dicunt omnes terræ fruges, quæ ideo Homero dictæ δημητρος ἀκτη apud Feithium *in Antiquit. Homeric.* lib. I. cap. 11. Ipſi Athenienſes, qui ſapere ſibi ſolis videbantur, ab ea ſerendi frumenti rationem didicerunt, cujus beneficii nunquam non memores videas. ita Carolus Sigonius *de republ. Athenienſ.* lib. I. cap. IV. Romani, ne unquam id beneficium efflueret, ſuos ædiles, qui frumentis adducendis præerant, Cereales dixere, a Cerere quippe hoc deſcendere nomen tradit Pancirollus *in Notit. dignit. imper. occident.* cap. IV. certis quoque illum beneficiorum cumulum corollis denotarunt, annotante Claudio Menetreio *in Dianæ Epheſ. ſtatua* p. 374. E. Forſan etiam quod Afri, qui ut autor mihi eſt GV. Pancirollus *in Notit. dignit. imper. orient.* cap. XXXI. nummis ſuis ſpicam expreſſerunt, regionis ſuæ florem & Cereris beneficium indicarint. Eam ob cau-

ſam Ceres Agricolæ nomine venit, ut cæteri Dii, Bacchus, Faunus aliique, quos Deos agricolas vocat Ovidius, notante etiam Barthio *Adverſar.* lib. x. cap. xxi. & Jo. Henrico Meibomio *de Cereviſ. Veter.* cap. i. n. xvi. Taceant ergo Ægyprii, qui teſte Petro Caſtellano de *Eſu Carnium* lib. ii. cap. v. mitioris ſe vitæ autores jactabant.

(*b*) Quod præter Herodotum lib. ii. cap. clvi. & Apollodorum lib. ii. Eduardus Herbertus de Cherbury de *Relig. gentil.* cap. xii. p. 141. annotavit. Multa ſunt, quæ ſcribunt de hoc argumento. Io longis erroribus acta Ægyptum dicitur perveniſſe & Iſidis nomine culta, dein ſtatuam poſitam Cereri ajunt, quæ ipſa Iſis Ægyptiis. vid. Apollodorum lib. ii. p. 40. Nonnum Dionyſ. lib. iii. vſ. 251. & Æſchylum *in Supplic.* vſ. 295. ſqq. Dictam quoque Ἰὼ putant cum Plutarcho *de Iſid. & Oſidir.* p. 275. B. παρὰ τὸ ἰέναι, διὰ τὸ ἰέναι αὐτὴν διὰ πάσης τῆς γῆς πλανωμένην. Ἴσιν παρὰ τὸ ἰέσθαι μετ' ἐπιςήμης. Si ergo nulla alia Io, quam Iſis, ut ex dictis colligitur & Euſebio *in Chron.* lib. i. p. 26. Ceres quoque illa Io non ſine cauſa dicenda, præſertim cum fontem etiam nobiliſſimarum & regiarum prorſus familiarum Io matrem crediderint. ἀρχὴν δὲ καὶ πηγήν τῶν ἐπιφανεςάτων καὶ βασιλικωτάτων γενῶν παρασχεῖν apud Sebaſtianum Fæſchium *in Numm. Pylæm. Everget.* p. 1616. C. in Gronovii *Antiquit. Græc.* Tom. ix. Æ-

gyptii

gyptii quoque ea, quæ Cereri ſive Iſidi accepta referunt, Oſiridis inventa ajunt, notante Henrico Meibomio *de Cereviſ. Veter.* cap. I. n. XVII. & uti Ceres iis dicta Iſis, ita Bacchus Oſiris, quorum nomina in una ſerie nunquam non videas expreſſa, uti apud Romanos Bacchi & Cereris. Utriſque omnium rerum copiam & vitæ humanæ emendandæ inſtitutum tribuunt. Hier. Wolffius *ad Guil. Morellium de Vet. Philoſ. Orig.* n. XV.

(*c*) Varia Cereris nomina, quæ huc faciunt, congeſſit Ortelius *de Deorum Dearumq. capit.* lib. I. fig. XXII. Græcis potiſſimum dicta nomine δήμητρος, Ἐρίννυς, Λυσία & Μέλαινα. Ed. Hebr. de Cherbury *de Relig. gentil.* cap. XII. p. 143. ſub nomine ἱππολεχῶ etiam Joachimus Camerarius *de nomin. equeſtr.* p. 884. C. latere putat. Nomen Dio, quod idem ac Cereris, cum primis laudandum. Abundantiam quippe ſeu matrem abundantiæ ſignificat, unde grandibus & protenſis mammis pingi ſolita, quaſi lacte abundans, idemque terræ præbens. Ridet Arnobius *adverſus gentes* cap. III. & V. mammoſam Cererem omniſque pudoris expertem. Alia de mammoſa Cerere habet Cl. Menetreius *in Dian. Epheſ. Stat.* p. m. 377. B. C. & Petrus Caſtellanus in ΕΟΡΤΟΛΟΓ. p. m. 660. F.

(*d*) Virgilius *Georgicor.* libr. I. vſ. 6.

— — — Vos o clariſſima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & Alma Ceres.

eadem *d. lib.* 1. *vſ.* 197. & *vſ.* 343. & Vopiſcus *in Aureliano.* p. m. 283 litteris ab Aureliano ad Flavian. Arabian. datis.

(*e*) Qualia eruditiſſime & abunde congeſſit Ezech. Spanhemius de *Veſta & Prytan. Græc.* apud Grævium in *Antiquit. Roman. Tom.* v. p. 692. B.

(*f*) Dicta Romanis *Flava* & Græcis ξανθὴ δημήτηρ ob ariſtarum maturitatem, ac ſi omnia favente Cerere matureſcerent, quamvis etiam Ovidius *Metamorph.* lib. 11. vſ. 749. & Cœlius Calcagninus *de Re Nautica* cap. xi. flavam dixerit Minervam. Magnis porro egregiiſque apud Niſæos equis nomen ξανθὸν fuit proprium, quos Spadices interpretatur Joachim. Camerarius *de Nominib. equeſtrib.* apud Gronovium *Antiquit. Græc. Tom.* xi. p. 841. E.

(*g*) Flores in Cereris gremio naſci antiqui dicebant, coronam idcirco floribus textam offerentes. Claudius Menetreius *in Dianæ Epheſ. Statua* p. 369. D. Floridæ quoque Cereri Sacra Athenienſes fecerunt Thargelionis die ſexto, vel ſeptembris. Septembrem dicit Scholiaſtes Sophoclis, ſed rectius Aprilem dixit Meurſius *in Atticis Lectionibus* lib. 11. cap. 1.

(*h*) Cognomentum nacta Ceres eadem de

de cauſa ἐυχλόῳ quaſi a Viridi, id eſt ſegetum Virore ſic dicta, cui ſacrum fecerunt Athenienſes in Hephæſtione ſcribente Hadriano Junio *Faſtorum libro* apud Græviuam *Antiquit. Romanar.* Tom. VIII. p. 236. E.

(*i*) Magna dierum feſtarum ſeries, de quibus videndi Jonſtonus *de feſtis Græcor.* & Meurſius *in Græcia feriata* apud Gronovium *Antiquitat. Græcar.* Tom. VII. Tanti nominis celeberrima Cereris myſteria, ut ſummi viri iis ſe initiari paterentur, uti Hercules ille apud Meurſium *de popul. Attic.* Voc. ΜΕΛΙΤΗ. Gronovium *d. l.* Tom. IV. p. 760.

(*k*) Imagines Cereri ſacras poſteri admirantur. Paucas hîc è multis addere juvat. Moneta fuit ærea Auguſti egregia cum effigie Cereris, quam ſibi demonſtratam ſcribit Joachim. Camerarius *in hiſtor. Rei nummar.* p. 1431. E. Alia Cereris in Neronis Claudii Cæſaris moneta expreſſa autore Willebrordo Snellio *de Re Nummar.* apud Gronovium *Antiquit. Græc.* Tom. IX. p. 1567. B. Romæ Praxitelis opera fuit Ceres in hortis Servilianis & ſua & Praxitelis laude clara, uti refert Jul. Cæſ. Bulengerus *de Pictur. Plaſt.* lib. II. cap. XIII. Elegantem habes Cereris imaginem in libello qui anno CIↃIↃCXCVII. prodiit hoc nomine: *Explication hiſtorique de la Fable de Ceres.* Autor idem eſt; qui conſcripſit *l'Hercule marchand*, nec non *l'Hiſtoire d'Adonis*. illam Mr. le

Clerc *dans la Bibliotheque Univerſ. Tom.* I. hanc *Tom.* III. ſiſtit. Priorem libellum de Cerere *Tom.* VI. exhibet, quo etiam uſus fui. Depingi etiam ſolet ſpicarum manipulos tenens manu, quibus oſtendunt donum Cereris eſſe ſpicas. Nobile oppidum ſitum eſt Tagum verſus, quod nonnulli, & ipſe Lucius Marineus Siculus *de Rebus Hiſpan.* lib. II. p. m. 306. ex quo hæc ſcribo, *Caſtrum Cæſaris* appellandum putavit, vulgarem ſecutus opinionem. Sed poſtea vir doctus Caſam Cereris eſſe vidit, qua in illa Cereris inventa imago ſpicarum manipulos tenuiſſe manu dicitur. Aliquando ſpicea corolla addita imagini. vid. Gorlæum *in Theſaur. Numiſm.* Tab. X. n. 4. Tab. XXII. n. VIII. ſq. Tab. XXIII. n. I. 2. ſq. Aliquando fingebatur ſaxo inſidens forma muliebri præter caput & cervicis partem, utpote quæ equi collo cum juba eſſet ſimilis, ſerpentibuſque & aliis feris circundaretur; reliquo corpore ad imos pedes tunicà velato, altera manu Delphinum, altera columbam præferebat. E. H. de Cherbury *de Relig. gentil.* cap. XII. p. 143.

(*l*) De his alio loco quædam affero, in ſupplementis.

(*m*) Romæ inprimis ædes Cereris ad Circum maximum celebris, ubi decantati Circenſes ludi in honorem Cereris habiti, autore Barthol. Marliano *in Urb. Romæ Typogr.* lib. III. cap. XX. fin. & Olao Borrichio *in Antiq. Urb. Rom. facie* cap. XIII.

§. 3.

§. 3. nec ejus templa Romæ nova ſed ab antiquitate celebratiſſima laudantur & conditorum dignitate. Famianus Nardinus *in Roma Veter.* lib. VI. cap. XII. fin. Ol. Borrichius. *c. l.* cap. XII. §. I. fin. E. H. de Cherbury *de Relig. gentil.* cap. XII. p. 142.

(*n*) Vide Supplementa.

V.

Cereri fuit filia unica Proſerpina, (*a*) quam alii Dæram vocarunt, alii Liberam, (*b*) nonnulli ipſam eſſe Hecaten crediderunt. (*c*) Hæc non minori culta religione gentibus ac ipſa Ceres. Æternam dictam reperio (*d*) ab æterno ejus apud inferos imperio. Pherephattam quoque appellant ſive fructuum abundantem copiam, quod ipſi inditum nomen ævum jam agenti, aut eo demum tempore, cum Ceres jam peritiores in agris colendis quærendoque victu homines reddidiſſet. (*e*) Hujus amore captus Dis Pater ſive Pluto, cui univerſum inferorum impe-

rium divinitus conceſſum, (*f*) conſilium rapiendæ iniit.

NOTÆ.

(*a*) Quod unica ex Cerere πεϱσεφόνη prodierit innuit Claudianus *de Raptu Proſ.* lib. I. vſ. 121. ſqq.

Ætneæ Cereri proles optata virebat
Unica, nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam,
Feſſaque poſt primos hæſerunt viſcera partus.

(*b*) Errant, qui ipſam Cererem eſſe Liberam exiſtimant. Liberam quippe ipſam eſſe Proſerpinam oſtendit Cicero *in Verrina* IV. cap. XLVIII. & Stephanus Pighius *in Mytholog.* ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ apud Gronovium *Antiq. Græcar. Tom.* IX. p. 1197. D. Neſcio, ut hæc obiter moneam, quo ſiniſtro ſidere ductus Ortelius *de Deor. Dear. cap.* lib. II. fig. XIII. de Libera, vix quid ſcribere debuerit, ſatis ſciat. De Libera modo ſatis trepide pronunciat, modo eandem cum Libertate Dea ait. nulla quippe alia quam Perſephones illa Deae liberae imago. Dicta quoque κόϱη noſtra, quo de nomine videndus Meurſius *in Denario Pythagor.* cap. XI. circ. fin.

(*c*) Hecate, de cujus cultu non vana congeſſit E. Herbertùs de Cherbury *de Relig. gentil.* cap. VI. p. 38. & 39. Natalis Comes

Mytholog. lib. III. cap. xv. Joſephus Laurentius *de conviv. Veter.* cap. IV. fin. multum impedivit quoſdam, qui nec à Proſerpina Hecaten, nec ab Hecate Triviam, aut Dianam a Trivia diſcernere poſſent. Sed facile regiam viam ingredientur, ſi meminerint, & Proſerpinam & Triviam & Dianam ſæpe ſub unico Hecates nomine latere, unde etiam triformis nomen Hecate accepit. Hæc cognita ex Athenæo *Deipnoſ.* lib. VII. cap. XXI. Farnabio ad *Senecæ Hippolytum.* v. CCCCXI. Ovidio *Faſtorum* lib. I. vſ. 141. Claudio Menetreio *in Dian. Epheſ. ſtat.* p. 370. & 371. A. Luca Holſtenio *in epiſt. de Fulcr. ſ. Verub. Dian.* p. 395. E. Faſoldo *de Feſtis Græcor. Dec.* VII. ſeſt. VIII. §. 3. Samueli Bocharto *in Hierozoic.* Part. II. lib. IV. cap. XVIII. p. 581. accepta iiſdem refero. In Athenæo cum primis obvia illa verba: *τριοδῖτις, τρίμορφος, τριπρόσωπος.* Vox Triformis propria poëtis. Seneca *in Medea Act.* I. Scen. I.

Tacitiſque præbens conſcium ſacris jubar
Hecate triformis.

Eleganter Symmachus, quæ ſub ſingulis illis lateant, exponit, apud Iſidorum Hiſpalenſem. *Etymol.* lib. VIII. cap. XI. notiſſimis verſiculis Prudentii *contra Symmachum* lib. I. vſ. 365.

Deni-

Denique cum luna eſt ſublûſtri ſplendet amictu,
Cum ſuccincta jacit calamos Latonia virgo eſt,
Cum ſubnixa ſedet ſolio Plutonia *conjux.*

Non errant, qui *Latinis* dictam Proſerpinam putant a *proſerpendo*, ut & Hecaten Græcis ob fœcunditatem, quod in centuplum plerumque propaget ſemina accepta; qui numerus frequenter a Græcis pro multitudine incerta ſolet accipi. Stephanus Pighius *in Mytholog.* ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑϹ. apud Gronovium *Antiquit. Græcar.* Tom. IX. p. 1197. E. Cum primis ſi tergeminam appellatam videas Hecaten, Lunæ viciſſitudinem deſignari puta, quæ triplex eſt, cum apparet cornuta, cum dimidia, cum denique pleno orbe. vid. Athanaſ. Kircherum *in Obeliſco Pamphil.* lib. III. fol. 224.

(*d*) Vide Grævium *Antiquit. Romanar.* Tom. XII. p. 767. D.E. ſed de æterno hoc Perſephones apud inferos imperio alibi plura. Hic te monitum velim, quod ab illo dominio *Profundæ Cereris* acceperit. Errant nonnulli ad Statii Thebaïdem quartam commentatores, qui Cereris profundæ nomen ipſius Cereris eſſe exiſtimant. Unde quoque Marſilii Ficini ſententia, qui in verſione ſua Xenocratis Axiochi quædam ejuſdem verba non de Plutonis ſed Junonis regià intellecta vult, improbanda, quamvis in MSto

MSto ſuo verbum ἥρας non πλȣ́τωνος inveniſſe ſe ſcribat: quæ enim illa profunda Juno? nonne Proſerpina? teſtis Claudianus *de Rapt. Proſ.* lib. I. init. *profundæ Junonis thalamos audaci promere cantu &c.* nimis trepide de illa re Barthius *Adverſarior.* lib. LIV. cap. XX.

(*e*) Oſtendit Plato *in Cratylo* p. 264. (edit. Ficini.). Pherephattam eſſe verum Proſerpinæ nomen. Verbum פִּיר־פְּתָא *pherphete* idiomate Chaldaico denotat *fructum abundantem*, quod proxime accedit ad Græcum illud: φερέφαττα. Confirmat me præter *Orpheum* ipſe Diodorus Siculus, qui inventis demum frugibus Proſerpinam natam eſſe oſtendit. vid. tamen Stephanum Pighium *in Themid. Dea.* p. 1172. A. Atque nomine Proſerpinæ partem aliquam Philoſophiæ ſuæ antiqui comprehendebant. Veſtitam depingunt, quoniam ſemina rerum corticibus velantur, ne ſe niſi excuſſis leguminibus in matre Cerere explicant. Ita Eduardus Herbertus de Cherbury *de relig. gentil.* cap. XII. p. 143. Inferior tamen aliquando ſtatuæ pars nuda cum dextro Perſephones humero conſpicitur. Egregie illuſtrat Eggelingius *in myſter. Cerer. & Bacchi.* p. m. 65. C.

(*f*) Vid. plur. *meynen bey Cannas Seigend en Hannibal Act.* V. ſſ. 13. n. 1. 3. ſqq.

VI.

V I.

Raptui deligitur Sicilia florentiſſima omnibus priſcorum annalibus celebris regio. Hanc in primis coluiſſe fertur Ceres, ibique domicilium conſtituiſſe, ſacra & penates habuiſſe. (*a*) Vide quanta ſit in raptore malignitas, qui ex ipſius Cereris laribus patriaque natam rapere non dubitaverit. Ut fatear verum, omnis de raptu Proſerpinæ ex Sicilia hiſtoria eo redundat, ut Siciliæ feracitatem efferre (*b*) florentiſſimæque regionis fata ad poſteros tranſmittere poſſent veteres.

N O T Æ.

(*a*) Teſtatur id Cicero *in Actione Verrina* IV. cap. XLVIII. Cæterum plena manu laudes Siciliæ congeſſit Ubbo Emmius *Rer. Græcar.* Tom. I. lib. VIII. p. m. 176. & ſeqq. Fournier in *Geograph. Orbis Notit.* lib. IX. cap. XIII. p. 520. Heinſius *ad Ovid. Metamorph.* lib. XIV. vſ. 2. & Autor *de l'ex-*

l'explication Hiſtorique de la fable de Ceres. p. m. 62.

(*b*) Habes apud Hieronymum Alexandrum in *Tabulæ Heliac. explic.* in Grævii *Antiquit. Romanar.* Tom. v. p. 751. E.

VII.

Raptui cum primis Ennenſium ſaltum delegiſſe Ditem patrem ferunt. (*a*) Hic præterea Ennam urbem videas, quæ multis veterum annalibus inclaruit. Hanc circa ſunt lacus lucique plurimi, & lectiſſimi omni anni tempore flores, locus ut ipſe raptum illum virginis declarare videatur. (*b*) Etenim propter eſt quædam ſpelunca converſa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem Patrem ferunt repente cum curru extitiſſe abreptamque ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe. Hujus præſidem loci ipſam credidere Cererem & Proſerpinam. (*c*) Sunt tamen, qui non in Ennenſium nemore, ſed in loco ad Cephiſſum am-

amnem, cui nomen *Caprifico* abreptam liberam dixerint, (*d*) quibuſdam illud, quod fuit ad Chemarum, ſeptum arridet, ubi repens Ditis patris adventus Liberam oppreſſerit. (*e*) Nec diffiteor, quod non uno veterum teſtimonio colligunt viri docti, rumorem ſatis fuiſſe conſtantem de ablata in Græcia Proſerpina. At non immerito illos ſequor, qui Ennenſium memus raptorem obſecundaſſe ajunt, pro quo major omnis antiquitatis autoritas & ipſa loci præſumptio militat.

NOTÆ.

(*a*) Hyginus cap. CXLVI. ad Ætnam contigiſſe raptum Proſerpinæ ſcriptum reliquit. Ovidius *Metamorph.* lib. V. vſ. 385. non procul ab Ætneis (alii *Hennæis* legunt) locum deſignavit. De nomine Ennæ (ita ſcribendum exiſtimo) urbis, non eſt una eademque doctorum virorum ſententia. Solinus in Polyhiſtore cap. XI. Ætnenſem agrum dixit, ſed corrupte. Unde laudo diligentiam Clau-

Claudii ad Strabonis lib. VI. qui ibidem pro Ἰννησίαν, Ἐννησίων legendum putat. non deſunt argumenta iis, qui *Ænnæam* ſcribunt, ſed nec illis, qui *Ætnæam*. Reperio multis dictam Cererem Ætnaeam uti Claudiano *de Raptu Proſerpinæ* lib. I. vſ. 121. & Statio *Thebaid.* lib. IV. vſ. 124. Hæc eſt illa genuina lectio, quam ex omnibus antiquorum Codicibus eruit Barthius *ad d. Statii locum in Animadverſ.* Tom. II. pag. 934. & in *Claudianum de Raptu Proſerpinæ* lib. I. vſ. CXXII. Fidem facit rei, qui imminebat, mons *Ætna.* Adde locum Marii Nigri *in Sicil. deſcript.* p. 612. *qui Ænnam exile* dicit *oppidum propinquum Centoripis, ad primos Ætnæ montes adſcenſus ſuper colle, quam bello victi Catinenſes condidere.* Egregius quoque Senecæ *in Hercule furente* locus Act. III. Sc. II.

Teque, quam tota irrita quæſivit Ætna mater.

Hæc quamvis non immerito videantur ita nonnullis, tamen non ſunt. Adrianus Turnebus *Adverſarior.* lib. VIII. cap. XII. potius *Ennæam Cererem* dictam contendit, urbemque *Ennam.* Longa eſt autorem ſeries, e quibus id paſſim colligas. Ita Lactantius *divinar. inſtitut.* l. II. c. IV. Ortel. *de deor. Dearumq. capit.* lib. I. fig. XXIII. pro Ætnea *Ennæam* | *Cererem* dicunt. Ennam urbem dicit Thomas Fazellus *de Rebus Sicul.* Dec. II. lib. I. cap. I. p. 223. ubi rudera,

quæ

quæ ſuperſunt, templi Cereris conſpiciantur. Id autoritate quoque Poëtarum nititur. Silius Punicor. lib, XIV. vſ. 246. ſqq.

Cum rapta præceps Ennæa virgine flexit
Attonitos cæli viſu lucemque paventes
In Styga rurſus equis & prædam condidit umbris

& lib. XIII. vſ. 430. nec non lib. I. vſ. 214. lib. XIV. vſ. 239. Ovidius Faſtorum lib. IV.

Sic Dea nec retinet gemitus & concita curſu
Fertur & a campis incipit Enna tuis.

Lucanus *Pharſal.* lib. VI. vſ. 740.

Eloquar immenſæ terræ ſub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mæſtum
Regem noctis ames.

b) Ennam, qualis fuerit, noſſe intereſt. Primum de ejus loci ſitu, dein amœnitate dicendum. Dio aut Ceres media in Sicilia domicilium ſibi conſtituerat in loco ſic dicto. *En-naam*, aut ſecundum Græcum idioma *Enna* i. e. fons amænus, ubi Cererem natam exiſtimant. Pluribus rem proſequitur Autor *de l'explication hiſtorique de la Fable de Ceres*. p. 65. Adde Ciceronem *in Verrina* IV.

IV. cap. XLVIII. Ea urbs a duce Enno condita dicitur, quamvis ipſa res, loci natura, & frequentia culturæ nominis etymologiam e Græco producere videantur. *Ennain* namque Græcis inhabitare ſive intus habitare dicitur apud Fazellum *de Rebus Sicul.* Dec. I. lib. X. cap. II. p. m. 203. Dicuntur quoque Syracuſani colonos miſiſſe Ennam quam poſtea Siciliæ umbilicum dixere, quoniam in meditullio inſulæ eſſet ſita. Ubbo Emmius *de Rebus Græcor.* lib. VII. p. 157. F. Sed non in Sicilia tantum verum etiam in Græcia celebris Enna. Tribus Atticæ quod fuerit oſtendit Meurſius *in lib. de popul. Attic.* p. 718. B. qualis fuerit, neſcit. aliis quoque locis idem nomen proprium. Sic de Enneacruno fonte Meurſius *de Ceramic. gemin.* cap. I. fin. & cap. XIV. videndus. Nomen ei initio Callirhoe fuit, at hoc modo immutatum, poſteaquam rerum tyranni potirentur. Meurſius *in Piſiſtrato* cap. IX. De loci amænitate, quamvis ex his de illa conſtet, adi ad Ovidium *Metamorph.* lib. V. vſ. 385. ſqq.

(*c*) Præclarus mihi ſemper viſus ille Livii lib. XXIV. cap. XXXVIII. locus. *Craſtino die*, ait Pinarius, *aut veſtro aut Ennenſium ſanguine Enna inundabitur.* & poſt: *Vos Ceres mater & Proſerpina precor, cæteri ſuperni inferique Dii, qui hanc urbem hos ſacratos lacus, lucoſque colitis, ut ita nobis volentes propitii adſitis, ſi vitandæ non inferendæ fraudis*

cauſa

cauſa hoc conſilii capimus. & Ciceronis *in Verrina* IV. cap. I. *Enna non urbs videtur ſed fanum Cereris eſſe; habitare apud ſeſe Cererem Ennenſes arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, ſed omnes ſacerdotes, omnes accolæ atque antiſtites Cereris eſſe videantur.* Eadem habet Jacobus Gronovius *ad Stephanum Byzant.* de Dodone. p. 287. D. evolve egregium Ciceronis *in Verrina* V. cap. LXXII. locum. Ipſa quoque Ceres præſes & regina Siciliæ fuiſſe dicitur apud Swertium *de Deor. Dearumq. capit.* lib. I. figur. XXIII. Hanc Cereris tutelam alias quoque gentes ſibi vindicaſſe oſtendunt Agræ Atticæ apud Meurſium in lib. *de popul. Atticis.* Voc. ΑΓΡΑ p. 683. A.

(*d*) Pauſanias in *Atticis.*

(*e*) Pauſanias in *Corinthiacis* ad Chemarum oppidum fuiſſe lapidibus ſeptum, ubi ad inferos Dis Pater detulerit Liberam refert. De Tænaro nota eſt. nec inficias ire quis poſſit, pluribus quam uno argumenro rem poſſe adſtrui. Ipſe Tænari ſitus, quod Cicero de Enna prædicat, raptum Proſerpinæ indicare videtur. De eo agit Statius *Thebaid.* lib. II. vſ. 32. Pauſanias negât Tænaro profundum antrum ineſſe. Sed contrarium docent Seneca in *Herculefurente* Act. III. vſ. 663. Virgilius Georgicorum lib. IV. Propertius lib. III. I. 49. & cum primis Montfortius ad *Lucanum* lib. VI. fol. 738. Tænarus cæterum Laconiæ pro-

promontorium (teſt. Ubbone Emmio *Rer. Græcar. Tom.* I. lib. II. p. 105. F. & Meurſio in *Miſcellan. Laconic.* lib. IV. cap. XI. init.) ſitus prope urbem Cænen aut Cænepolin, quæ ipſa olim Tenærum dicebatur; eratque in eo Cereris fanum & ædes Veneris erectumque e marmore ſignum. Meurſius d. lib. IV. cap. V.

VIII.

Sed age ipſum raptum conſideremus. Verum ſi raptorem Proſerpinæ indagare libet, Moloſſorum regem nomino. (*a*) Sed Poëtæ ad Plutonem provocant. Raptum ſplendide & luculenter expoſuit *Claudianus* in ſuis de raptu Proſerpinæ libris. Altiori agitari ſpiritu & rapi furore credas, ſi illos mentis fluctus, quibus impellitur, in mentem revoces. Ipſe de ſe in libro de Raptu Proſerpinæ I. vſ. 5. prædicat:

Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus

C *Ex-*

Expulit & totum ſpirant præcordia Phœbum.

Adductus inde vir æternum nomen adeptus Daniel Georgius Morhofius peculiari diſſertatione ἐνθȣσιασμὸν tribuit Poëtis. Hic eſt decantatus ille poëtarum furor, quo ſe rapi antiquiores ſæpe exiſtimarunt, (*b*) & quem non ſolum *poëtæ* jactarent, ſed *illi* quoque, *oraculorum antra horrida qui intrarent*, (*c*) *ſacerdotes fanatici*, (*d*) *Sacerdotes Bacchi.* (*e*) *Virgines in Græcia lymphatico furore actæ & Bacchum venerari ſolitæ*, (*f*) *loca fanatica*, (*g*) *illi*, *qui nomen Herculis ſaltationibus colerent*, (*h*) aliique. Sed iſta mitto. Relicta Sicilia ajunt profectam Cererem Iden Phrygiæ montem, ac illa profecta Jovem de re feliciter gerenda conſilium dediſſe Veneri, quæ domicilium Proſerpinæ intraſſe ac huic perſuaſiſſe fingitur, ut in campum

pum atque in loca inſidiis nata deſcenderet. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Gerbelius in *Sophianum* apud Gronovium *Antiquit. Græcar.* Tom. IV. p. 17. C. & Ubbo Emmius *Rerum Græcar.* Tom. I. lib. II. init.

(*b*) Ne pigeat, Lector, hic vidiſſe nonnulla de Poëtarum aliorumque furore, quæ dum varios libros, monumenta antiquitatis varia inveſtigarem, annotavi. Noſter *Claudianus* non uno loco (ut de eo prius ſermonem inſtituam, qui, ut hæc annotarem, commovit) de afflata divinitus Poëtarum mente canit. Habes in *epigramm.* ad Æternalem:

Quicquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat:
Quicquid fatidico mugit Cortina receſſu:
Carmina ſunt, ſed verba negant communia Muſæ,
Carmina ſola loquor, ſi me meus implet Apollo.

Laudatur hoc nomine a viris doctis. *Feliciſſimi poëtam caloris* appellat Stanislaus Kobierzyckius *de Luxu Romanor.* lib. II. cap. VI. conf. Browerus *ad Fortun.* lib. III. cap.

XXI. Cum primis illi de Raptu Proſerpinæ libri omnis ſuavitatis ac elegantiæ pleniſſimi, quod fatetur Jovianus Pontanus *in Actio Dialogo*: & Matthæus Raderus *ad Martialem* lib. XII. epig. XLII. generoſo carmine Proſerpinam a noſtro nobilitatam ait. Ea hujus carminis majeſtas, ut in Italicam linguam tranſtulerit *Marc. Antonio Cianuzzi.* Vid. Giornale de Letterata D. Italia Tom. XII. p. 435. Sed quænam ſit illa Poëtarum inſania, paullo accuratius pertractemus. Inſaniam, (*μανίαν*) Veteres credidere equidem rem a ſapientiæ rationibus alienam, non tamen inſcitiam: ſed ignorare ſe ipſum, & quæ quis neſciat, opinari & ſcire velle, cui rei illuſtrandæ egregie inſervit illud Xenophontis *Memorab.* lib. III. p. m. 779. A. Bene *Socrates*, qui diſcernere ab inſania inſcitiam calluit ap. *eundem* in *Memorabil.* lib. I. p. 719. C. Eleganter quoque de Enthuſiaſmo Plato in *Jone.* Doctrinæ Platonicæ capitula quædam exponit Cælius Aurelianus Tardar. lib. I. cap. V. *Platonem*, refert, *in Phædro duplicem furorem dixiſſe, alterum, qui fieret mentis intentione ex corporis cauſa vel origine. Alterum eſſe divinum ſive immiſſum, eumque Apollinem inſpirare, vocarique divinitatem, ab antiquis vero furorem appellari ſolitum. Græcorum antiquiſſimos μανίαν appellare conſueviſſe. Alium deſcendere porro a Libero Patre, alium denique ex Muſis: hunc vocari Protrepticum, quod ad carmen inſtigare videatur,*

deatur. Ego omnia, quæ de furore Poëtico blaterent, hiſce complectar: Illi, qui rerum ſumma cum laude geſtarum memoriam excitant, qui heroum illuſtria facta litteris condunt, ut expugnarint urbes, ut ferro, ut incendiis omnia deleta, ut furibundus miles cruentiſſima facinora ediderit, ſe, dum ſcribunt, rebus illis geſtis interfuiſſe, non minori animi impetu res illas tradere poſteris, quam geſtæ a fortiſſimis viris credunt. Eo fit, ut voluptate eruendæ antiquitatis & fortitudinis cognoſcendæ rerum ſuarum obliviſcantur, mentemque ſuam agitari divinitus credant, aut altiora ſequi veſtigia, quam fieri vulgo ſolet, dum res abjectas & viles contemplantur. Hæc ex omni antiquitate declarabo. vide, quæ habet Stephanus Pighius in *Themide Dea* p. 1163. A. apud Gronovium *in antiquit. Græcar. Theſaur.* Tom. IX. Hoc verba: *ſe non habere*, & *ſui obliviſci*, quibus ad enthuſiaſmum Martialis *lib.* II. *epigr.* LXVIII. & Boethius *de Conſolat. Philoſoph.* lib. I. cap. II. reſpicit, indicant. Hoc verba: *Recipere ſe*, apud Ovidium Metamorph. lib. V. & *redire ad ſe* apud Xenophontem *περὶ ἀναβάσεως* lib. I. (*ἀκούσας ταῦτα ὁ κλέαρχος, ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο, καὶ παυσάμενοι ἀμφότεροι κατὰ χώραν ἔθεντο τὰ ὅπλα*) denotant. Ex Silio *Punicorum* lib. VI. vſ. 332. vox *abripi* innotuit.

Abripuit, traxitque virum fax mentis honeſtæ
Gloria & incerti fallax fiducia Martis.

Conf. Seneca de *tranquill. anim.* cap. xv. fin. Tria potiſſimum loca doctorum virorum adferam, quo magis iſta eluceſcant. Cicero *pro Archia Poëta* cap. VIII. & Autor *de Reflex. Moral. Satir. Comiq. ſur le mœurs de ce Siecle* chap. III. p. m. 51. qui multa de inſania ſcribit ipſe quandoquidem inſaniens, præſertim, quando de Germanorum ſtupiditate ſermonem inſtituit. Tertio loco adduco illum, qui in Anglicum ſermonem tranſtulit Homerum Popen, *in Journal des Scavans* ann. 1719. Avril. p. 445. Pueriles aliquando Poëtarum impetus videas, qui tollunt ingenii fluctus, ut lapſu graviore ruant. Optime Rapinus *dans les Reflex. Sur l'eloquence*: chap. XVI. Oeuvres Tom. II. pag. 15.

(*c*) Id qua ratione factum eleganter deſcribit Antonius Venerius *de oracul. & divinat. antiq.* cap. XII. Illuſtrat hoc Autor *des Reflexions Morales, Satriques & Comiques* chap. XIII. p. 248. Ipſe Virgilius *Æneid.* lib. VI, vſ. 80. *Os rabidum*, & vſ. 102. *rabida ora* oraculo ac vatibus tribuit. De metris, quæ oracula numine afflata edebant vid. Pighium in *Themide Dea* p. 1157. C.

(*d*) De

(*d*) De ſacerdotibus fanaticis quædam attulit Argolus in *Comment. ad Onuphr. Panvinii Lud. Circenſ.* lib. I. cap. XVIII. p. 229. n. 4. Fanaticorum eis nomen inditum a Romanis, Græcis dicti ἐνθουσιασταὶ, ἐνθεαστικοὶ, ἔνθεοι, *Deo afflati*, *Numine afflati*, *Deo paſſi.* Quod pluribus exponit Bulengerus *de ſortibus* lib. I. cap. VIII. Reſponſa a Diis profecta dicunt χρησμοὺς αὐτοφώνους, illa vero, quæ a Fanaticis reddita, ὑποφητικούς. Apollonius *Argonauticor.* lib. IV. vſ. 1381. Conf. Virgilius *Æneid.* lib. III. vſ. 359. Varia inde nata nomina, quibus Fanaticorum laudes efferre ſolebant. Vocat Homerus Θεῶν ὀαριστὰς, Juvenalis *Satyr.* IV. *Bellonæ oeſtro percuſſos*, Auguſtinus *de Civitate Dei* lib. II. *arreptitios & arreptos*, Tertullianus in *Apologetico* ἱερατικούς. Vid. Julius Cæſar Bulengerus de *Sortib.* lib. I. cap. V. ac *interpretes divûm* idem Bulengerus de *Oracul. & Vatib.* cap. CLX. Hi fanatici, quorum inſaniam perſtringit Autor Anonymus *des Reflex. Moral. Satiriq. & Comiques* chap. XIV. quo magis deciperent plebem, ad templa maxime degebant, ibique metum Deorum ſuperſtitioſis, creduliſque hominibus incutiebant, vaticiniis ſuis, ac prætenſis Deorum monitis. Autor mihi Antonius van Dalen *in diſſ. de Orig. ac Ritib. ſacris. Taurobol.* cap. VI. p. 75.

(*e*) Bacchi ſacerdotes, quo præſentibus

numen oſtentarent furore notati ab antiquis. Euripides in Bacchid. vſ. 298. ſq. Ipſum Bacchum multis inconditiſque clamoribus fatigantes Ε'ὐοῖ σαβοῖ, Ἐυοῖ βάκχε iterum iterumque cecinerunt, uti eſt apud Dionyſium Alexandrinum verſ. 702.

Καὶ μετὰ ληγάιων ἱερὸν χόρον ἐςήσαντο
Σώματα καὶ Νεβρῖδας ἐπὶ ςήθεσσι λάϐοντες
Ε'ὐοῖ βάκχε λέγοντες.

Atque in Lenæis ſacras duxere choreas
Pellibus, incincti ſimul evohe Bacche frementes.

Optime conferes Arnobium *contra gentes* lib. v. p. 169. Hæc Ὠμιοφάγια his verſiculis pingit Catullus *in Nupt. Pel. & Thetid.* vſ. 258. 259.

Pars e divulſo jactabant membra juvenco,
Pars ſe ſe tortis ſerpentibus incingebant.

(*f*) De his Nicolaus *de Ritu Bacchanalior.* cap. x. ſic in antro Delphico Pythiam corripi & agitari demum voces emittere tradunt. Van Dalen *de Oracul. ethnic. diſſ.* 1. Miror, quod cum tantum fuerit mulierum inſanarum nomen, illas Præti filias furore quodam

dam ac melancholia agitatas Medicorum celeberrimo curandas mandaverint. Petrus Caſtellanus *in Vitis veter. ac illuſtr. Medicor.* p. m. 863. D. Imo miror tot tantiſque hoſtiis cultam Hecaten, ne furorem hominibus immitteret. Vid. Gronovium *Antiquit. Græcar.* Tom. VII. p. m. 651. D.

(*g*) Attacta fulgure loca variis nominibus innotuerunt: *Fulgurita*, *Bidentalia*, *Obſtita*, *Fanatica* paſſim audiunt. Ea intueri & calcare nefas. Ideo ara ſuperimpoſita, quæ Capitium περιςόμιον ἱερȣ̃ φραγμὸς, ἱερὸς τόπος περικεκλισμένος apud Jacobum Gutherium *de Jure Manium* lib. I. cap. V. p. 31.

(*h*) Sic Herculem furentem certo Saltationis genere imitati, neſcio quam inſaniam vultu, oculis, dentibus, pedibus portendebant. Meurſius in *Orcheſtra*, ſub Voc. ΗΡΑΚΛΗΣ ΜΑΙΝΟΜΕΝΟΣ Gronovius *Antiquit. Græcar.* Tom. VIII. p. 1254. F. Huc facit illa, cui inditum nomen *Thermauſtrici* (ΘΕΡΜΑΥΣΤΡΙΣ) ſaltatio apud Gronovium d. Tom. VIII. p. 1255. Aliquando tripudiis capiebant cerna & pocula, nec ab inſania & furore alieni. Meurſius in *Orcheſtra* Voc. ΚΕΡΝΟΦΟΡΟC. A furore quoque notata illa, quæ ΜΟΓΓΑC dicitur ſaltatio. Meurſius d. tr. voc. ΜΟΓΓΑC. Horum veſtigia legiſſe videntur illi, de quorum furore multis conqueſtus eſt Busbe-

quius *de Reb. Turcic.* epiſt. III. p. 298. Ingenio liberiori quoque videas illos Therapeutas in Ægypto, cum divinas laudes Saltatione extollerent. Ita Claudius Fleury *dans l'hiſtoire Eccleſ. Tom.* I. liv. II. p. 140.

(*i*) Vid. Claudianum *de Rapt. Proſerp.* lib. I. Non ſine cauſa Scaliger Poët. lib. VI. cap. V. vinolenta Deorum conſilia exſibilat, quod præter Venerem ad maturandas Proſerpinæ nuptias etiam Palladem atque Dianam adminiſtros obſceni amoris habuerit, cum fuerit illa virgo, hæc etiam virginitatis vindex. Laudant inſtitutum hoc nomine, quoniam Proſerpina modicæ prudentiæ virgo facilius non, quam alia virginum turba adſtante decipi potuiſſet. Quid quod ſub his tenebris fertilitatem ubertatemque agrorum latere exiſtiment, quam promovere Juppiter fingitur. Ac idcirco hunc de rapienda Proſerpina conſilium iniiſſe ſcribit Alexander *in Tabula Heliac. explicat.* p. m. 756. & argumentum rei præbet vox *ἐπικάρπιος*, quæ propria Jovis. Vid. Epictetum lib II. cap. XXII. & Auguſtinum *de civit. Dei* lib. VII. cap. XVI.

IX.

Egreditur Proſerpina ac loca inſidiis deſtinata petit, ubi carpere flores in animo erat, cum reli-

reliquis virginibus, quas comites eſſe ſibi voluerat Proſerpina. (*a*) Quæ dum inter puellas more virgineo gererentur fragore quodam repente concuſſos montes urbeſque aſſerunt. Emerſiſſe Ditem patrem, raptam e Floribus Liberam cæteraſque Nymphas præ timore vix mentis compotes diffuguiſſe. (*b*)

NOTÆ.

a) Vid. Claudianum *de raptu Proſerp.* lib. II. vſ. 136. 137. ſqq. Valerium Flaccum *Argonautic.* lib v. Statium *in Achilleid.* lib. II. vſ. 150. ſq. Auſonium *in Epi.* v. qui *Claudiano* fuit æqualis. Elegantiſſimi ſunt verſus *Claudiani* quibus virgines flores legentes proſequitur:

- - - - Varios tum cætera ſaltus
Invaſere cohors. credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges
Caſtra movent, fagique cavo demiſſus ab alvo
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.

 (*b*) Quod

(*b*) Quod pluribus illuſtrat Grævius *Antiquit. Romanar.* Tom. XII. p. 1050. Athenæus *Deipnoſ.* p. m. 684. Canterus *in Comment.* ad *Arnobium* p. m. 25. Apollodorus *Biblioth.* lib. I. p. m. 12. Diodorus Siculus *Biblioth.* lib. V. p. 287. Clemens *in Protrept.* p. 5. Hyginus *fabul.* CXLVI. Stewechius *in Electis ad Arnobium* p. m. 123. Arnobius quoque *contra gentes* lib. V. p. m. 173.

X.

Raptam ergo vides Liberam, (*a*) virgines timere exſangues ac lacrymis obortis nefandi raptoris ſcelus deteſtantes. At is præda potitus Ætnam per montem ad inferos deſcendit, (*b*) Orcumque petit. (*c*) Deplorant miſeræ, quæ aderant, Liberam ſorores, lacrymiſque ultimas dapes offerunt. (*d*) Ipſam Proſerpinam, quæ fati acerbitatem lacrymis ac gemitu proſequitur, ſolatur infernus raptor ac lacrymas ubertim fluentes amiculo abſtergit (*e*) majoris ſpe imperii deficientem ac præ dolo-

re

re exanimem recreat, demum ſolem, flores amæniores totiuſque Erebi imperium promittit. Ad ſtagna Palicorum cum accederet regnum triſte ingreditur. (*f*)

N O T Æ.

(*a*) Claudius Menetrius in *Statua Dianæ Epheſ.* p. m. 387. B. Quam Dianam inepte eandem cum Libera aſſerit, inficias ire licet nolim, Dianam aliquo modo pro Cerere ipſa haberi, uti annotavit Mart. Capella apud Petrum Bellorium *in Deæ Syr. ſimul.* p. 429. F. Cæterum laudem Cl. Menetrejo qua Holſtenius *de Fulcri ſeu Verub. Dianæ* apud Gronovium *Antiquitat. Græcar.* Tom. VII. p. 395. B. illum mactavit, præreptam nolim.

(*b*) Kippingius *Antiquit. Romanar.* lib. I. cap. I.

(*c*) Orcum petit Dis Pater. At quinam is Orcus? res ac materia ardua & difficilis, quam tot paganorum ſcripta ac fabulæ parum illuſtrant. Ne pigeat ergo, Lector, hic de Orco legiſſe, quæ non ubivis obvia. *Orcum* antiqui non eundem cum inferno exiſtimant, ſed locum medium dicunt, ubi manes habitent. Monui jam in Theramenis *Actu* I. *vſ.* 38. Si Democriti περὶ τῶν ἐν ᾅδου

 libros

libros evolvere liceret, de quibus Meurſius *in Biblioth. Græc.* lib. III. p. 1349. videndus, plura forſan, quæ jam nos fugiunt de hac Theologiæ gentilis non ultima parte afferre poſſem. Sed quæ non poſſum, rimari deſino. Mihi equidem dictum nihil elegantius videtur, quam cum antiqui meretricum domos januam Orci vocarent, autore Laurentio *de adulter. & meretric.* cap. III. hoc quippe nomine *domicilium manium* contineri non infernum intelligo. Ii, qui ſtupris fœdiſſimis debilitati & meretricum amore ad inſaniam capti, umbræ hominum non hominem audiunt, ac omni ætatis flore exuti præmatura morte manes ſequuntur. Præclara ſunt, quæ huic aſſerto lucem affundant, antiquitatis monumenta. Si quis paganorum ſpiritum effunderet, acclamant cognati & qui propre lectulum ſtarent: *Vale apud Orcum te videbo.* Jacobus Gutherius de *Jure manium* lib. I. cap. XII. quod ſi orcus eſſet ipſe infernus, miſerum profecto exinde moribundo ſolamen naſceretur. Recte Heinſius in *Commentar. ad Ovidii Metamorph.* lib. VIII. vſ. 488. *manes animaſque recentes* novas Orci incolas eſſe dixit; optimeque ille apud Suetonium *in Nerone* cap. XXXIX. ubi exitum Claudio ſignificat, ait: *Orcus Vobis ducit pedes.* Eadem Silius *Punicor.* lib. XV. vſ. 398. ſq. innuit.

Feli-

Felices leti, pietas quos addidit umbris
Optabunt ſimiles venientia ſecula fratres.
Extremamque decus memori celebrabitur ævo.

Idem Silius lib. XIV. vſ. 245. quando de Orco loquitur, per inane ſolum umbras petiſſe eleganter dicit. Heroës antiquorum, quando Orcum ſe adire dicunt, locum omnis lætitiæ expertem nequaquam ſe viſuros arbitrantur. Ita enim de heroum morte Macrobius *in ſomn. Scipionis* lib. I. cap. IV. *Omnibus, qui patriam conſervaverint adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo & definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur.* Hic eſt ille Orcus, quem non ſolum ingreſſus Orpheus uxoris demortuæ amore victus, veram etiam, quem nobis egregie pingunt verſiculi quos Adrianus Cæſar mortis timore væcors ad poſteros tranſmiſit. De priori Ovidius *Metamorph.* lib. X. vſ. 16. ſqq. Verſiculos Adriani ſic referunt Ælius Spartianus *in Adriano* p. m. 134. vſ. 10. & Caſpar Barthius in *Adverſar.* lib. XXXII. cap. XII.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles dabis jocos.

Huic

Huic Orco Heliogabalus imperator Romæ condidit templum, eo loco, quo ante Orci ædes fuerat. Ita *Lampridius* in *Heliogabalo* p. m. 198. vſ. 27. ac eundem orcum Pluto cum Proſerpina ingreſſus eſt, qui cum Cerbero ipſe orcus dicitur apud Barthium *in Commentar. ad Statium* Tom. III. p. 1494. & *Adverſarior.* lib. XXII. cap. VIII. Auguſtinum *de Civitate Dei* lib. VII. cap. XX. Certe non habitu orci ingreſſum credo, hunc enim aut Deum aut ſi mavis Diabolum depingunt, ſenis, hiſpidi, nigri torvique facie, qui fuſcinam extenderet, qua inveſtigare in metallifodinis ſolent argentum. Ortelius *de Deor. Dearumq. capit.* fig. XLIII. demum non ſine cauſa factum exiſtimo, quod poſtea in ſacris Eleuſiniis in honorem Proſerpinæ ab Orco raptæ inſtitutis initiarentur. His etenim benignum orcum exiſtimabant. Proſerpinæ raptum & luctum Cereris his ipſis ſacris denotabant, ergo, ne aliquando, ſi Orcum ingrederentur ſibi immitio eſſet Orcus, initiari ſe curabant in ſacris Proſerpinæ, quæ proprio exemplo docta, quanta eſſet infernæ ſedis inclementia benigniorem recens ingreſſis manibus ſe oſtenderet. De initiatis elegans eſt Crinagoræ in *Anthiolog.* lib. I. cap. XXVIII. locus. Quid quod hos initiatos quandam apud inferos προεδρίαν nacturos exiſtimarint, quod ex Laertii lib. VI. cap. XXXIX. petet: Ἐν ᾅδου προε-

προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι. i. e. *apud inferos primo loco initiati honorantur.*

(*d*) Vid. Claudianum *de Raptu Proſerpin.* liq. 11. & Athenæum *Deipnoſ.* p. m. 694.

(*e*) Hæc ſumma laus miſeros ſolari. Boethius *de Conſolat. Philoſ.* lib. 1. ait: *Hæc dixit, oculoſque meos fletibus undantes, contracta in rugam veſte ſiccavit.*

(*f*) Stagna Palicorum ſulphure perpetuo dicuntur olere. Locus Palicorus inter Leontinos & Menas Ovidio *de Ponto* lib. 11. *Stagnum Palici* dicitur. Palicos fuiſſe Jovis e Thalea filios comperio eoſdemque dictos ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι, ſive, quod redirent in vitam, quando ſemel eſſent mortui. Fontem habes apud Palicum, qui magna vi moliens aquas in altitudinem ſex cubitorum ejaculatur. Elegantiſſimum de Palicis commentarium reperies apud Macrobium *Saturnal.* lib. v. cap. xix. dignum, qui legatur. Hic fuit oraculum Palici, de quo Virgilius Æneïd. lib. ix. vſ. 585. & inprimis Jul. Cæſ. Bulengerus *de oracul. & vatib.* cap. cxiv. memoriæ prodidit. Fanum Palicis ſacrum celebre apud Siculos fuit, quo confugerent fortuna offenſi, aut inſigni aliqua calamitate oppreſſi. Teſtis Jo. Adam. Oſiander *de Aſyl. gent.* p. m. 2852. F. Habitant ibidem Bacchiadæ originem trahentes à Bacchià. Nobiliſſimi Corinthiorum ac maxime generoſi dicuntur. Archias Bacchiadum unus

nus fuit, qui relicta Corintho nobiliſſimam urbem Siciliæ Syracuſas condidit inter duos portus, majorem alteram, alteram minorem. Vid. Theocritum *Idyll.* XVI. & Cluverium in *Antiquit. Sicil.* lib. I. cap. XII.

X I.

Propius ubi acceſſit cum Libera Dis Pater accurrunt totius inferni accolæ ac humi procumbentes novam reginam venerantur. Ornamenta Proſerpinæ afferunt, diemque illum tanquam libertatis primum & Orci natalem quaſi intuentur. Paſſim diſcumbere manes & inſtrui epulas videas. Tenebræ & profunda nox ſenſim diſcuſſa; Omnes, qui inferni ſuſtinebant pœnas vinculis aliquantiſper ſoluti, ac demum finitis regalibus epulis thalamis regiis inducta Libera, cujus ut feliciſſima proles foret, votis ac precibus contendunt. Dormientibus quoque fauſta quævis omnia ap-

pre-

precantur manes decantatis in utramque partem verſibus. *(a)*

NOTA.

(*a*) Claudianus *de Raptu Proſerpin.* in fin. lib. II. De prole novorum conjugum ſupereſt Dioſcurorum memoria. Illos Cicero Διοσκόρους ex Jove antiquiſſimo rege & Proſerpina tradit natas fuiſſe apud Petrum Caſtellanum de Feſtis Græcor. Voc. ΑΝΑΚΕΙΑ p. m. 615. C.

CAPUT TERTIUM.

Ulterior Myſterii de Cerere & Raptu Proſerpinæ Explicatio & itinere Cereris raptam Liberam accenſis Facibus quærentis.

§. I.

RApta ablataque Libera Juppiter Diis convenire juſſis, malo eum letho periturum nunciat, quicunque Cererem natae Fata edoceret, aut, ubi deliteſceret, cer-

certiorem redderet. (*a*) Luxum, inquit, mortalium tolli commodius aut arceri non poſſe, quam ſi hoc nomine acta furore Ceres egeſtatem omniumque rerum inopiam immitteret hominibus. Una tamen, cum raperet Liberam Dis Pater, inventa Cyane, quæ objicere remoras, filiamque Cereris vindicare voluerit, (*b*) at vanam ſine viribus iram expertus Pluto nihilominus ad inferos pertranſiit, nec poſtea auſum legimus quenquam, qui domeſticæ cladis rumorem ad Cererem perferre voluerit.

NOTÆ.

(*a*) Loquentem habes Jovem apud Claudianum *de Raptu Proſerpin.* lib. II. vſ. 54.

(*b*) Cyanem dilexerat Anapis fluvius Siciliæ. Sed hoc nomen aliis quoque commune invenio. Sic nomen Cyanes oppido in Lycia inditum, cujus tempore Plinii memoria extitit, apud Ubbonem Emmium *Rer. Græcar.* Tom. I. lib. VIII. p. 174. *inſula quoque Cyanea fuit* prope Byzantium,

Me-

Medeæ inſula dicta, quam maris emoti fluctus oppreſſerunt, cujus extremas partes & quæ eminebant cacumina, Cyaneas appellabant. Vid. Petrum Gyllium *de Boſphor. Thracio.* lib. III. cap. III. ab init. *conf. idem* lib. I. cap. II. Scriptum de iis inſulis reliquit Busbequius *de Rebus Turcic. Ep.* I. p. 78.

II.

Ceres, ubi domum rediit, ac vacuas ſedes antiquas luctuſque plenas videt, ingemuit, ingentique luctu contabuit. (*a*) Ingloriam vitam ſine filia trahere morte ipſa quodammodo iniquius videbatur. Terras & maria peragrare ſatis ipſi viſum, quam utriſque ſine filia præeſſe. *Ætnam montem petit, & pinus utraque manu ſuccendit.* (*b*) Tenebris obortis iter facit, viam monſtrante divina, ita ajunt, Ætnæ luce. Funus duxiſſe filiæ accenſa face crederes. Antiquo monumento eleganter æri impreſſo rem illuſtrat Hie-

Hieronymus Alexander *in Tabul. Heliac. explic.* p. 747. aliam quoque imaginem habes apud Eundem p. 758, in fine, quam Ceres ſed una tantum face inſtructa exornat. (*c*) Cæterum, ut fatear verum, pauca ſuperſunt antiquitatis monumenta, quæ ita hiſtoriam de itinere Cereris illuſtrent, ut illuſtraſſe abunde videantur. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Ceres antiquis dicta ἀχαία ob ingentem mœrorem, quo raptam filiam proſecuta legitur. Autor mihi Meurſius *in Atticis lection.* lib. v. cap. xxxi. Tanti habuerunt luctum Cereris Bœotii, ut, quod refert Meurſius *in Græcia feriata* lib. iii. Voc. ΕΠΑΧΘΗΣ, in honorem Cereris τῆς ἀχαίας filiam lugentis ſacra religioneſque inſtituerent.

(*b*) Arnobius *contra gentes* lib. v. p. m. 174. Græcos inter ad Apoll. *Bibl.* l. 1. c. v. provoco. Reliqua de Facibus accenſis memoriæ prodidere Minucius Felix in *Octavio*. Lactantius *divinar. inſtitut.* lib. i. cap. xvii. Prudentius *in Roman. Martyr.* Περὶ ϛεφάνων. Deſiderius Heraldus *Animadverſ. in Arnob.* p. 214. (edit. Lugdun. Batav. 1651. in 4.) Octavius Ferrarius *de lucernis Veterum ſepulcral.*

pulcral. apud Græevium *Antiquit. Romanar.* Tom. XII. p. 997. C. Hieronymus Aleaner *in Tabul. Heliac. explicat.* apud Græevium *Tom.* V. p. 745. & 755. Miraris, cur pinus utraque manu accendat Ceres? Pinus in tutela Cybeles & magno in honore priſcis, animadvertente Laurentio Pignorio in *Magnæ Deum matr. Ideæ & Attid. init.* p. m. 514. F. Nuceſque adeo pineas proprias & ſacras credidere magnæ Deum matri apud Jacobum Philippum Tomaſinum *in manib. æneis Cecrop. vot. refer.* cap. V. Nec a Cereris ſacris alienas exiſtimant; in *Theſmophoriis*, ubi ſummus Cereris honor, ramulo pinus adhibiti & poſiti ſub lecto. Meurſius *in Græcia Feriata* lib. V. p. m. 793. A. De nuptiis vid. infra ipſum Atlantem nullum lignum fovere impenſius, quam pinus cedunt. Silius P*unicor.* lib. I. vſ. 205. ſq.

Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea ſylva premit, vaſtant cava tempora venti,
Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.

Sæpius hoc nomine antiqui pingunt mulieres cum pinu, qualis eſt apud Theodorum Gronovium *in Marmor. Baſi Coloſſi* cap. XXVI. inque ludis Iſthmicis coronas e pinu

pinu initio, deinde Nemeorum imitatione ex apio, demum e pinu iterum fieri ſolitas pluribus docet Plutarchus in *Sympoſ. Problem.* lib. v. quæſt. III. & Petrus Faber in *Agoniſtico.* lib. II. cap. XXIII.

(*c*) Supereſt præterea nummus Hadriani Cæſaris, qui hoc illuſtret iter, apud Morellium in *ſpec. numiſm. antiquor.* p. m. 25. alia vide apud Eggelingium *in myſter. Cerer. & Bacchi.* p. 65. A. Quædam peculiaria exinde conjici poſſunt. Ceres depingitur pedes, caput, totumque corpus operta, contra frigus munita facibuſque inſtructa, ergo adumbrant hyemem & ſubterraneum calorem, qui hyemis tempore incluſus frigore radices frugum auget. Eggelingius. p. 72. B.

(*d*) Autor *de l'explicat. hiſtoriq. de la Fable de Ceres.* p. 70.

III.

Ceres iter faciens omnibus locis nequicquam ſalutatis, nec inventa Perſephona Eleuſin venit itinere & ærumnis confecta. Eleuſin venit, urbem celeberrimam omnibuſque Græcorum annalibus inclytam, a qua etiam nomen Eleuſiniorum ſacrorum

pro-

profectum. Multis nobilitata fatis, rebus geſtis & conditoris ſui dignitate ærumnis quoque & luctu Cereris inclaruit. (*a*) Pandion Rex Athenienſium rebus præerat, cum in his Ceres erroribus verſaretur, (*b*) quamvis ſint, qui eoſdem ad tempora Cranai referant, (*c*) nec ſolam Cererem quæſiviſſe raptam Liberam, ſed Bacchum ei ſocium itineris atque luctus fuiſſe commemorent. (*d*) Conſedit demum ad fontem Ceres, cui nomen Callichore. Καλλίχορον Græci dicunt, ubi primum honoris Deæ habiti. (*e*) Quieviſſe in lapide fertur, qui nomen *Ageslaſto* exinde nactus fuit, ac ſi diceres. *Nunquam ridet.* Græci dicunt: Ἀγέλαςον πέτραν, (*f*) ac cum ipſa Cerere lapidem omnis lætitiæ, omniſque amœnitatis expertem fingunt.

NOTÆ.

(*a*) De Eleuſiniæ terræ celebritate pauca afferam, quoniam non minorem, ac ipſa Dionis itinera lucem rei affundunt. Afferam, quæ ex variis libris hinc inde collegi, manibuſque Eleuſinorum, ad quos celeberrimorum in omni Græcia ſacrorum laus pertinet, ſacra eſſe volo. Magnus fuit Eleuſiniorum apud Græcos honor, quorum urbem plus vice ſimplici cum Ariſtophane Poëta *μυϛοδόκον δόμον* appellant apud Faſoldum *de Feſt. Græcor. decad.* II. *Feſt.* I. n. I. De ejus urbis nomine prodidit Athenæus lib. IX. p. m. 406. Condita ab Ogyge Rege dicitur, de quo ut multa dicam, non ſubeſt cauſa, ut pote cujus nomen in omnibus priſci ævi annalibus clarum ſit ac perrenne. Hæc Meurſius de *Regib. Atticit.* lib. I. cap. V. Dictam putant ab Heroe Eleuſi, qui qualis fuerit, docet Meurſius *in Lection. Attic.* lib. III. cap. XX. Ipſius Ogygis filium, qui condidiſſe Eleuſin dicitur, hunc Eleuſin exiſtimant, vide Potterum in *Archæolog. Græca* lib. I. cap. I. p. m. 5. Non tamen omnes ab illo nomen Eleuſis urbis deſcendere putant. Ita Pauſanias *in Atticis* p. m. 71. his verbis: *Ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις* E'λευσὶς *ἀπὸ* E'λευσινίȣ *τȣ̃* E'ρμȣ̃, nominis originem docere voluit. Vid. Caſtellanum *de Feſt. Græc.* p. 652. F. Alii ab advecto aliunde frumento nomen deſcen-

deſcendere putant, Diodorus Sicuius lib. v. p. m. 336. *Τὸν γὰρ τόπον, τὸν ἐξ ἀρχῆς δεξάμενον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύειν, ἀπὸ τοῦ παρ' ἑτέρων ἐλθεῖν τὸ σπέρμα τοῦ σίτου κομισθέντος.* Demum nec eorum opinio a veritate prorſus aliena, qui *ἀπὸ τῆς Ἐλεύσεως* i. e. *adventu*, quoniam poſt longos errores Ceres ibi demum allapſa, ubi lateat filia, reſciverit apud Petrum Caſtellanum *de Feſtis Græcor.* p. 653. A. Multis aliis rem illuſtrat Eraſmus Vindingius *in Hellen* p. 243. E. Bellis præclaram ſibi laudem & decus partum Eleuſinii poſteris quoque reliquerunt auctiorem. Vid. Pauſaniam *in Atticis* p. 36. Apollodorum *biblioth.* lib. I. p. m. 12. Diodorum Siculum lib. v. p. 336. Memorant inter Athenienſium Reges Erechtheum, qui multis editis facinoribns manus cum Eleuſiniis conſeruerit. Meurſius *de Regib. Atticis* lib. II. cap. VIII. Duces inter, qui auſpiciis Athenienſium electi, bellum Eleuſiniis intulerunt, Jon eminet, cujus res geſtas in litteras retulerunt Pauſanias in *Achaicis* & Vindingius in *Hellen* p. m. 150. F. Ita mutuis damnis & cladibus aut aliquando victoriis inclarueruut, videnturque Eleuſiniorum terræ bello gerendo, copiiſque inſtruendis magnum attuliſſe incrementum. Ita deſperatis rebus triginta, qui Rempublicam Athenienſium everterant, tyranni, impigre bellum inſtaurari nuſpiam tutius poſſe quam in Eleuſi, quo & miſerant equites, confi-

debant. Teſtis Xenophon *de Rebus Græcis.* lib. II. p.m.471.D. Sed Athenienſes, cum inſtaurari bellum viderent, Eleuſin urbem obſidione cingunt, capiuntque. Aretinus *de Rebus Græc.* p. 3406. C. D. Certaminibus & ludis militaribus ſemper nobilis Eleuſiniorum terra. Certamina ibidem gymnica habita declarat Faber in *Agoniſtico* lib. III. cap. XXIX. nec indigna viſa terra, cum tot Heroum geſtis nobilitaretur, quæ exuvias illorum conderet. Præclarum habet exemplum Pauſanias *in Atticis* p.m.26.71.72. & Herodotus lib. IX. p.m.595. Nobilitatam Eleuſina Athenienſium itinere, quum apud Iſthmum ſumpta cœna Cleonas ac forte Mantineam pervenirent, ſcripſit Xenophon *hiſtor. Græc.* lib. VII. p.m.644. B. Hordei quoque reperti laudem ſola ſibi iſta urbs vindicat, quin adeo paſſeres inpretio antiquis, quos Eleuſina terra alebat, teſte Polluce *Onom.* lib. VII. cap. X. quidni reliqua urbis præſtantiora, & omnibus ipſa urbs præſtantior? Suos quoque laudum præcones nacti ſunt hujus urbis incolæ. Duæ ſunt de Eleuſiniis Tragœdiæ, quas ævum abſtulit. Altera dicta ΕΛΕΥΣΙΝΙΑΙ apud Heſychium, qui ad illam provocat, altera ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΙ, nec eadem hæc, quæ prior. Ita quippe in Æſchyli deperditorum ſcriptorum ſerie leguntur Αἰτναῖοι & Αἰτναῖαι, Περραιβοὶ & Περραιβίδες, quod optime animadvertit Meurſius in *Æſchylo* lib. I. p. 402. B. C. in Gronovii *Antiquit. Græcar.* Tom. X. Nec

Nec tamen origo urbis ejuſque civium res geſtæ ut ut celebres tot tantiſque celebratæ elogiis, quantis ipſa Eleuſinia Sacra, quorum laus cum primis in ipſam urbem redundat. Ea dicta τὰ μυςήϱια πασῶν τιμιωτάτη τελετὴ aqud Taſſinum *de anno ſecular.* Part. I. cap. XIV. Templi cultus mirificus, quod regali magnificentia extructum & magnæ hominum turbæ, quin imo totius Græciæ capax ipſam Deorum ſedem putarunt. Vid. Faſoldum *de Feſtis Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XIV. Locus ipſe ſolennis proceſſus celebritatem indicare videtur. Eſt enim via Athenis Eleuſina ducens, qua Myſtæ Sacra Eleuſinia celebraturi incedunt, & quæ ob ſanctitatem dici ſolet Ἱερὰ ὁδὸς. Faſoldus d. l. n. XXVIII. Eadem via nobilis ſacrà ficu, cui nomen ἱερὰ Συκῆ d. l. n. XXIX. de qua multum ii congerunt, qui de ſacris Eleuſiniis ſcripſerunt. Pons ibidem viſus, ex quo aliquando convitia in myſtas, (avertant Dii omen!) ſparſa, quod ſcribit Meurſius *Atticar. Lection.* lib. V. cap. XXXI. Errarunt, qui nullum in Attica terra neque Eleuſina ſuburbium fuiſſe putant, cui nomen ἱεϱὰ Συκῆ. Tales fuere Caſaubonus *in animadverſ. ad Athenæum* lib. III. cap. II. & ipſe Meurſius in ſuo *de popul. Attic. libro* voc. Ἐ-ΛΕΥΣΙΣ. Attamen Meurſius poſtea in *Attic. Lectionib.* lib. V. cap. XVI. Sententiam mutavit. Conf. Antonius van Dalen *de O-*

rig. ac Ritib. Sacr. Taurobol. cap. VII. p. m. 83.

Hujus urbis exigua noſtra ætate ſuperſunt monumenta, antiquum nomen temporis diuturnitas non abrogavit. Geographorum recentiores Lepſinam dicunt; ipſi Græci, qui hodie eam regionem incolunt, mutata P. in U. Leuſinam pronunciant. Complures vide inſcriptiones apud Sponium *in itinerar. Tom.* II. p. 408. Non minima quondam ejus fuit laus, quod ibidem antiquiſſimæ Athenienſium tres leges aſſervarentur. Scripſit Meurſius *in Themide Attica* lib. I. cap. I. Megarenſium tamen ea fuit levitas, ut ſpreta Deorum hominumque ſanctimonia ac ipſa Eleuſiniorum ſacrorum religione raptum nefarium adjuvarent, de quo Frontinus *Stratagem.* lib. IV. cap. VII. & Meurſius in Solone cap. VII.

(*b*) Meurſius *de Regib. Attic.* lib. II. cap. II. ſcribit, in hunc modum. At Wolfgang Lazius *Rerum Græcar.* lib. II. cap. II. ad Eleuſium Atticæ Regem perveniſſe Cererem exulem refert. Agnoviſſe illam neminem, nec illam adventus ſui cauſam ſignificaſſe cuiquam. Aluiſſe pro nutrice filium Regis dictum Triptolemum, quem adultum fruges poſtea ſerere docuerit. conf. Meurſius in *Lection. Atticis.* lib. IV. cap. V. fin.

(*c*) Autor mihi quoque Meurſius *de Regib. Attic.* lib. II. cap. III.

(*d*) Hæc multis docet Meurſius in *Lection. Atticis* lib. I. cap. XV. Non equidem Bacchi facit mentionem Arnobius, ſed hujus corruptum locum putat Meurſius, qui inſpici meretur. Ortum inde exiſtimem, ut ſæpius, quod monet Antonius van Dalen *de Antiquit.* Diſſ. I. cap. VII. p. 84. cum Cerere Bacchus conjungatur. Supereſt apud *eundem de Orig. ac Ritib. Sacr. Taurobol.* cap. VII. p. 92. inſcriptio:

SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM
DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORÆ
SACRATÆ. APUD. LERNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI. ET. CORAE
SACRATÆ. APUD. REGINAM
DEABUS. TAUROBOLITÆ. ISIACÆ
HIEROPHANTRIÆ. DEÆ. HEKATAE
GRÆCO. SACRATÆ. DEAE CERERIS.

Imo Bacchus iſte fuit Cereris e Jove filius, quare una cum Matre filius ſororem raptam quæſitum ivit. Meurſius d. cap. XV. in fin.

(*e*) Venit Eleuſina Ceres raptam a Dite Proſerpinam quærens ac fatigata requievit juxta fontem *καλλίχορον* dictum. Celeus eam hoſpitio excepit. Locuples teſtis Apollodorus *Bibliothec.* lib. I. cap. V. Eadem habet Proclus in *Creſtomathia*, Heſychius voc. *Jambe.* & Petrus de la Seine *in Homeri Nepenth.* Part. III. p. m. 1378. E. Callimachus *in hymno Cereris.* vſ. 16. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. III. Sect. II. n. I. Atque ad hunc fontem initium ſacrorum Eleuſiniorum, cum Eleuſiniorum fœminæ ibidem chorum inſtituerint. Fontem alio quoque nomine Ἄνθινον dicebant. Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XI. XII.

(*f*) Vide *Scholiaſten* Ariſtophanis & Heſychium voc. Ἀγέλαστος. Pluribus rem Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p. 654. D. E. refert. Ἀγέλαστος πέτρα, ὅτι ἐκάθιζεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅταν ἐζήτει τὴν κόρην. Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. 13. Alii Cererem dicunt non in Agelaſto ad puteum, ſed in puteo extra Eleuſinen in via Megarenſi ſito conſediſſe. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. III. Sect. II. n. II.

I V.

Ceres ad fontem ubi conſedit, for-

forte ſtramine tectam vidit caſam, cujus dum pulſaret fores, anus prodiit, quæ forſitan eſt illa Baubo, cujus meminit Arnobius, (*a*) aut ſi potior tibi eſt autoritas Nicandri in Theriacis vſ. CCCCLXXXVIII. Μετάνειρα. Invenio etiam apud Antonium Liberalem Fabulà XXIV. nomen Miſmæ. Ipſi Ovidio *Metanira* vox magis placet. (*b*) Anus illa lympham Cereri præbuit, quam toſta ante polenta coxerat; (*c*) dumque variis jocis, contumeliis, ſcommatibus tempus falleret, demum, ut rideret Ceres, effecit. (*d*) Bacchus obſcœna mulieris tetigiſſe ac tum riſiſſe Ceres fertur. Sed ipſam ſuo jure ridet Arnobius, (*e*) ac, *ut animum*, inquit, *alimoniis commodare poſſint, victuique ſumendo, non ratio, non tempus, non ſermo aliquis adhibetur gravis, aut affabilitas ſeria, ſed propudioſa corporum monſtratur obſcœnitas, objectan-*

 turque

turque partes illæ, quas pudor communis abſcondere atque naturalis verecundiæ lex jubet: quas inter aures caſtas ſine venia nefas eſt, ac ſine honoribus appellare præfatis. Quidnam quæſo inſpectu tali, quid in pudendis fuit verendiſque Baubonis, quod fæminei ſexus Deam & conſimili formatam membro in admirationem converteret? Ceres, ubi nuſpiam, quæ inveſtigaret, invenit, aliquantum temporis quieti dedit, cultu & hoſpitio excepta à Triptolemo (*f*) aut Erechtheo (*g*) a quo ipſa Eleuſinia ſacra deſcendiſſe nonnulli aſſerunt.

NOTÆ.

(*a*) *Adverſ. gent.* lib. v. p. 174. ubi pene ad verbum Clementem expreſſit autore Cantero *in Notis ad Arnobium* p. m. 25. conf. Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* p. 663. C. & Stevvechius *in Elect. ad Arnob.* pag. 124.

(*b*) *Faſtor.* lib. IV. vſ. 539.

Ma-

Matre ſalutatâ, (Mater Metanira vocatur)
Tangere dignata eſt os puerile ſuo.

Non tamen ſum neſcius, quod ibidem nonnulli Codd. *Menalinam*, alii *Menaliam*, quidam, ut Urſinus, *Melaniram*, nomen ſiſtant. Nonno Dionyſio lib. XXVII. & XLVII. ἀρχαίη κατ' ἐξοχὴν vocatur. Apollodorus *Biblioth.* lib. I. Μετανείραν & Pauſanias *in Atticis* Μεγανείραν dixit. Heinſium, qui *Metaniram* ſcribendum putat, Ego ſequor, utpote vocis omnium incorruptæ vindicem.

(*c*) Hic potus dicitur κυκεῶνα Nicandro quod Cicero de *oratore* verbo cinni expreſſit; Conficitur e farina, melle, aqua, caſeo præparata. Adrianus Turnebus *Adverſarior.* lib. XII. cap. VIII. Cynum habet Arnobius, ſed reſtituit Canterus *in not. ad* Arnob. p. m. 26. conf. Stevvechii *Electa ad* Arnobium p. 124. fin. & Gebh. Elmenhorſtii *Obſervat.* in eund. pag. 169.

(*d*) Meurſius *in Græcia Feriata* lib. IV. p. 798. F. Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* p. 662. A. Hanc mulierem Threſſam dicit. Petrus de la Seine *in Homeri Nepenth.* Part. III. p. 1378. Arnobius. *Contra Gentes* lib. V. p. 174. De recta Arnobii Lectione bene monet Carrio *emendat.* lib. II. cap. XIII.

(*e*) *Adverſus Gentes* lib. V. p. 176.

(*f*) De Triptolemo, quod is hoſpitio co-

luerit Cererem, narrat Meurſius *de Regib. Attic.* lib. I. cap. XIV.

(g) Meurſius *de Regibus Atticis* lib. II. cap. VII.

V.

Ceres id tantum, quod rebus gerendis ſupereſſet, quieti dandum exiſtimans iter comparavit, Sunium ac Piræeum reliquit. Peragrat mare, venit in Aſiam, Indiam, Meroën inſulam Nili, Lybiam, Germaniam omnemque Europam ac demum Siciliam repetit omnis lætitiæ expers vixque animam trahens. Verſo in iram mœrore aratra frangit, colonos boveſque aratores perimit, ne vindictam divinam miſera plebs & raptus ignara falleret. (*a*) Sicilia quoque relicta, Cælum petit, aſtra conſulit, ac ſicubi filia lateret, tantam ne rem ſilentio tranſeant. (*b*) At aſtra & ſol Jovis iram timenes ambigue & ſubdolis verbis reſpondent. Tandem Are-

Arethuſa ægre terrarum ſterilitatem ferens, Cereri a Dite raptam eſſe nunciat Proſerpinam, (*c*) verbis quoque addidit honorem ac omnis Erebi penes Liberam imperium eſſe ait. His auditis Ceres metu exſanguis & horrore videbatur. Ad eas quippe anguſtias redactam eſſe filiam, occurrebat, unde nec Theſei, nec Pirothoi, nec Herculis aut Orphei ope vindicari poſſet.

NOTÆ.

(*a*) Ovidius *Metamorph.* lib. v. vſ. 481. ſqq.

> *Fertilitas terræ latum vulgata per orbem*
> *Caſſa jacet: primis ſegetes moriuntur in herbis:*
> *Et modo ſol nimius, nimius modo corripit imber.*
> *Sideraque; ventique nocent, avidæque volucres*
> *Semina jacta legunt: Lolium, tribulique fatigant*
> *Triticeas meſſes, & inexpugnabile gramen.*

Ita creditum antiquis Cererem omnia ſua benevolentia recreare. Horatius *Carmin.* lib. IV. Od. v. vſ. 18.

(*b*) Aſtra in hæc verba reſpondent Cereri apud Ovidium *Faſtorum* lib. IV. vſ. 581.

Crimine nox vacua eſt, ſolem de virgine rapta
Conſule; qui late facta diurna videt.

(*c*) Ovidius *Metamorph.* lib. V. vſ. 505.

VI.

Rebus deſperatis Ceres Jovem adiit, ut, ſi poſſet, ejus mentem inflecteret. (*a*) Lacrymis precibuſque illum fatigat, ut de reſtituenda ſibi Libera decerneret. At is in fatis ita fuiſſe aſſerit, nec diſſolvi poſſe matrimonium Ditis ac Liberæ quamvis vi ablatæ dictitat. Ceres igitur ubi in omnes partes nequicquam impetus factus apparuitque nullam contra arma niſi in armis ſpem ſalutis ſupereſſe, vi raptam Proſerpinam e thalamo Ditis patris vi rapere inſtituit; quod ubi gravius eſſe negotium cogno-

cognovit, quam ut unius Deæ autoritate conſiliove geri poſſet tranſigere cum Dite Patre inſtituit. Convenere tandem conditiones, ut ſex menſes penes matrem, ſex penes maritum Proſerpina maneret. Menſes ſex dati marito, quibus ſol eſt inſignis Auſtralibus ſex Cereri, quibus viſit Borealia Signa, ut emergant, matureſcant, atque in horrea deportentur fruges. Hoc demum longinqui itineris diuturnique mœroris ſolatium fuiſſe tradunt, ipſamque Cererem, quo magis magiſque infauſti raptus memoriam abrogaret, ſumſiſſe papaver dicunt, (*b*) cum nec Dii, nec delatum alterius orbis imperium Liberæ ſuæ, feralem luctum minuere poſſent.

N O T Æ.

(*a*) Verbis Ovidii in *Metamorph.* lib. v. vſ. 504. ſcribam, ubi ita Arethuſam ad Cererem facientem verba fingit:

Ergo

Ergo dum ſtygio ſub terris gurgite labor,
Viſa tua eſt oculis illic Proſerpina noſtris.
Illa quidem triſtis, nec adhuc interrita vultu;
Sed regina tamen, ſed opaci maxima mundi;
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas ſtupuit ceu ſaxea voces:
Attonitaque diu ſimilis fuit. utque dolore
Pulſa gravi gravis eſt amentia; curribus auras
Exit in æthereas: ibi toto nubila vultu
Ante Jovem paſſis ſtetit invidioſa capillis.
Proque meo venio ſupplex tibi, Juppiter, inquit
Sanguine, proque tuo. Si nulla eſt gratia matris;
Nata patrem moveat: neu ſit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod noſtro eſt edita partu.
En quæſita diu tandem mihi nata reperta eſt:
Si reperire vocas, amittere certius; aut ſi
Scire ubi ſit, reperire vocas. quod rapta, feremus;
Dummodo reddet eam. Neque enim prædone marito
Filia digna tua eſt; ſi jam mea filia digna eſt.
Juppiter excepit: commune eſt pignus onuſque

Nata

Nata mihi tecum: ſed, ſi modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum
Verum amor eſt: neque erit nobis gener ille pudori.

(*b*) Hauſimus illa e Petri de la Seine *Nepenth. Homeri* Part. II. p. 1365. B. Strabi Galli verſus, qui huc faciunt, refert Meurſius in *Eleuſiniis* cap. xxv. fin. forſan exinde fluxit mos, ut papaver Cereri tribueretur. Virgilius *Georgicor.* lib. I. vſ. 212. 213. certe papaver Cereale inter gratiſſima Cereris dona recenſuit. Apud Clementem Alexandrinum quoque teſte Menetrejo *in Diana Epheſ. Statua.* p. 376. A. Inter præcipua dona, quæ Cereri offeruntur, nominatur papaver.

V II.

Multa ſunt præterea, quæ antiqui de draconibus Cereris viam per univerſum orbem ineuntis, prætereuntis dracones junctos legimus currui Cereris, quibus adjuta immenſos curſus perfecerit. (*a*) Inde natus ſerpentum cultus; ac rudes mentes imperitaſque religio cepit, ut divinis honoribus

bus efferrent; Divini aliquid ineſſe draconibus Ægyptii exiſtimabant, qui hoc nomine coronis ornabant ac divino cultu pro ſe quebantur. (*b*) Athenienſes ſerpentem immorari fano, quæ tutelam arcis ſuſceperit & perniciem ab omnium Civium capite propulſaret, perſuaſum habebant. (*c*) dracones Epirotæ vaticinia edentes fingunt, omnique religione venerantur. (*d*) Nec deſunt, qui aliquid myſterii illis de draconibus nugis ineſſe putent. Viſum iis, draconis ſub imagine terram latere, quod eam toto pene corpore perrepens verrere videatur; ac eo ſenſu a Cerere minime ratio draconum aliena. Dianam quoque intuens, qui cum ea dracones conferre velit, inveniet, prudentiæ ſymbolum antiquis fuiſſe ſerpentem, qui propter peculiarem excubandi vigilandique vim & acutiſſimam oculorum aciem inde-

defeſſæque noctilucæque Dianæ cum primis in deliciis fuerit. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Omnino Apulejana Ceres in curru draconum pinnato vehi fingitur. Orpheus vero in hymnis Cererem in curru eumque a draconibus trahi deſcribit; quod ſplendide Ovidius *Faſtor.* lib. IV. vſ. 493. & 497. expreſſit.

Quo ſimul ac venit frænatos curribus angues
Junxit & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Cererem non ſolum iis vectam tradunt, ſed Triptolemum quoque. Currui hic ab ipſa Cerere impoſitus dicitur, ut totum orbem peragraret, frumentumque ſerere ignaros doceret. Pluribus rem exponunt Meurſius *de Regib. Attic.* lib. II. cap. III. & Bochartus *in Hierozoic.* Part. II. lib. III. cap. XIV. p. m. 433.

(*b*) Divini aliquid ineſſe draconibus Ægyptii exiſtimabant. Coronabant eos, cum caduceo ſiſtro, ſpica eos depingebant: quo nomine etiam ἈΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕΣ ſive Boni Genii nuncupati, ut obſervatur in nummo Ægyptii Cymeliarchii Regii Pariſienſis, in quo illinc Neronis effigies, hinc draco

draco coronatus cum inſcriptione aliquantum exeſa: ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ ceu *νέος ἀγαθὸς Δαίμων*. Vid. Nicolaum *de Ritu Bacchanal.* cap. v. Sic draconum ſive ſerpentum effigies in Iſiaca Bembi tabula non ſemel appictas conſpicimus, ſerpentemque ſimulacro Iſidis comitem inducit Juvenalis *Satyr.* vi. vſ. 538.

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

Sacrorum Epheſiorum Præſides multa ab Ægyptiis mutuati non myſtico tantummodo Sphingis ſymbolo, verum etiam aliis primarium civitatis numen cohoneſtare volentes, geminos dracones antiquiſſimo ejus ſimulacro adjunxerunt. Menetrejus *in Diana Epheſ. ſtatua* p. 384. E. ſq. Sic quoque Orgiis Bacchi ſerpentes additi, quos ciſtis includebant. Eggelingius *in myſter. Cerer. & Bacchi* p. 70. B.

(*c*) Meurſius in *Græcia feriat.* lib. v. Voc. ΝΟΥΜΗΝΙΑ. Gronovius *Antiquit. Græc.* Tom. viii. p. 828. B.

(*d*) Van Dalen *de Oracul. ethn. Diſſ.* i. cap. xiii. pag 279.

(*e*) Et ſub Dianæ tutela eſſe dicuntur. Vid. Gronovium d. l. p. 381. B. Tom. viii. & Meurſium *in Cecropia* cap. xx.

VIII.

Hic eſt ille tot gentium litteris

atque

atque linguis decantatus Proſerpinæ raptus, quem adductis ubique teſtimonis expoſui. Sed age nunc conſideremus quam infirma ſint veterum de ipſo raptore & tempore teſtimonia, quo ipſo tota fabula corruet. Raptam Perſephonen dicunt plerique anno centeſimo & quinquageſimo quinto poſt Moſen, ſcriptore Cyrillo adverſus Julianum lib. I. cujus verba vulgo corrupta ſub limam revocavit & candide correxit alter Varro & Paræo in Commentariis ad Muſæum dictus πάντα ἰδὼς χαρίτων ὀφθαλμὸς, Barthius *Adverſarior.* lib. CXXIV. cap 3. (*a*) Sed incerta res eſt: de raptore incertior; hunc non Ditem patrem ſed aliquem potentem regem Aidoneum, ſive Theſeum aſſerunt, ex quo poſtea alendo rumores vana & ludibrio ſimilia confinxerit leviſſimus quiſque. De utroque diſpiciamus.

Ipſe

Ipſe Theſeus deſcendiſſe ad inferos dicitur, quo raperet Proſerpinam. (*b*) Comes ei factus Pirothous: ac Pirothoum quidem Cerberus voravit, Theſeum Hercules ſervavit incolumem, unde ἐξ ᾅδου ἀνεληλυθέναι perhibetur, teſte Euſebio Chron. lib. 1. pag. 28. & *Æliano in Var. hiſt.* lib. IV. cap. V. Pirothous ille, qui raptorem Theſeum ſæpe adjuverat, fuit qui Theſeum ſecum duceret. Hic quidem ſatis cautus nec quicquam fidens Eribi noctibus enixe, ut mutaret conſilium Pirothous, rogat. Dein quum irritæ eſſent preces, temere cum Pirothoo infernum aggredi maluit, quam datam ſemel fallere fidem. (*c*) Magna eſt, quæ in antiquorum annalibus laus tribuitur invictæ Theſei fidei, qui id ſolum periculum exiſtimavit, ſi fides fortis Viri periclitaretur. De Moloſſorum rege *Aidoneo* non ſimplici teſtimonio conſtat,

quod

quod raptâ ſibi uxore omnino ſit habendus pro Dite illo patre qui filium Cereri abſtulit. (*d*) Ne hanc quidem viam ita ingreſſus fueris, ut aberrare ab illa nequeas. Quid ſi Theſeus, quid ſi Aidoneus Perſephonem abduxit, ecquis abduxit? Demum Plutarchus in vita Theſei p. m. 15. A tradit: quod Pirothous ad rapiendam Aidonei Moloſſorum regis filiam animum adverterit. Aidoneo fuiſſe uxorem περσεφόνην filiam Proſerpinam. Hanc ab Aidoneo, qui fuerit digniſſimus, promiſſam. Ergo Moloſſorum Rex uxorem rapuit & raptu filiam perdidit?

N O T Æ.

(*a*) Hunc Adverſariorum Barthii librum non ego ſed ipſe Barthius adduxit, quis enim adeo neſcius, ut ultra LX. libros tanti operis ſupereſſe putet? Exiſtimo tamen hoc ipſo teſtimonio adjutus, quod credidere viri docti, plures & præſtantiores (ut poſteriores cogitationes eſſe ſolent meliores) libros Barthii amiſſos, quam quæ ad nos pervene-

venerint. Conſcius ſibi ipſe Barthius & optimus rerum ſuarum teſtis ad Statii *Thebaid.* IV. vſ. 528. *ad Sylv. Statii* I. vſ. 151. provocat ad librum Adverſariorum CXL. Caput IX. *it. ad Stat.* V. *Carm.* I. citat. *Adverſ.* lib. CXXXVII. cap. 2. ibid. lib. XCVI. cap. V. &c.

(*b*) Reliqua vide apud Scoliaſten Apollon. Argonaut. lib. I. & Tzetzen. *Chil.* II. *Hiſt.* LI. Theſeus apud Senecam Tragicum loquitur apud van Dalen, *in Diſſ. de Gymnaſiarch.* cap. II.

Tandem profugi noctis æternam plagam
Vaſtoque manes carcere umbrantem polum,
Ut vix cupitum perferunt oculi diem.
Jam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat,
Paremque toties libra compoſuit diem:
Ambiguus ut me ſortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis & vitæ mala.
Pars una vitæ manſit extincto mihi.
Senſus. Malorum finis Aloides fuit.

(*c*) Veſtigia hujus fabellæ habes in Freculphi Tom. I. lib. VI. cap. XII. Valerio Maximo lib. IV. cap. VII. Merito fabulam dico, cum eandem Plato de *Rep.* lib. III. talem eſſe fateatur. Nefas eſſe, ait, quempiam ſibi perſuadere Theſeum, qui tanto patre, quem maritimi orbis eſſe præſidem voluerunt, fuerit editus, & Pirorhoum filium Jovis ad turpes adeo rapinas proruiſſe. Subſequen-

ſequentia tamen Platonis verba oſtendunt ſatis conſtantem ſuo ævo rumorem fuiſſe, qui illud Theſeicum Pirothoo iter celebrarit. Quod ſi audire volupe eſt, quæ his fabulis Origo, adi ad Artemidori *Onirotritic.* lib. II. cap. LX. ubi, hanc veterum opinionem fuiſſe, ait, ut illos qui longinquum iter ſuſcepiſſent, aut peragrato orbe maximos confeciſſent curſus ad inferos dicerent profectos. Sed quid ea multis? Diodorum lib. IV. evolve; qui providum Theſei, quod attuli, conſilium exponit, antequam cum Pirothoo inferos peteret. Quanquam neutrum hinc reverſum hi qui fabulas ſcripſere ſint autores. Eadem fere Iſocrates *in Encom. Helen.* p. 414. (edit. Genevæ 1642. in 8.) *καὶ τοσαύτην χάριν ἔσχε Πειρίθῳ, τῷ μετασχόντι τῆς ἁρπαγῆς* &c. tradit. Sed inſpice Valerium Maximum lib. IV. cap. VII. n. 4. Conf. Clauſinius in *Theolog. gentili* Part. I. cap. XVI. §. V. Gronovius *Antiquit. Græc.* Tom. XI. p. 197. E. Lazius *in Græcia antiq.* cap. V. de regno illius quædam affert Gronovius *ad Steph. Byzant. de Dodon.* n. IX. p. 289. C.

(*d*) Aidoneum verum eſſe Pherephattæ ſive Proſerpinæ raptorem aſſerit Autor *de l'Explic. Hiſtor. de la Fable de Ceres* p. 66. nec fallitur autor. Ἀιδωνεὺς fuit *βασιλεὺς Ἠπείρου τῆς ἐν Μολοττοῖς,* uti dicitur apud Euſtathium ad Dionyſium. Cujus Aidonei ætatem inde licet colligere, quod apud Plu-

tarchum legitur, Theſeus *εἰς Ἤπειρον συναποδημῆσαι, ἐπὶ τὴν Ἀιδωνέως θυγατέρα τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως*, etſi Pauſanias lib. 11. p. 125. dicat, *Ὅτε σὺν Πειρίθῳ Θησέως ἀπελθόντος ἐς Θεσπρωτοὺς*, *quando cum Pirothoo Theſeus abiiſſet ad Theſprotos.* Hæc Gronovius *ad Stephanum de Dodone* p. 276. C. annotavit. Moloſſorum certe Rex dictus fuit Hades ſive Aidoneus. Is omnem Epirum occupaſſe & adfuiſſe iis, qui Pherephattam raperent, dicitur. Portentis & pleraque ſomniis congrua de Aidoneo traduntur, quia recentiores Græcorum fabulis ſuis deleverunt ipſa, quæ de eo ſupererant, veritatis monumenta. Rapta Perſephone Epirum coluiſſe & metallifodinas exercuiſſe ſcribunt. Servitia ejuſdem Mineralia conquirebant, totque cavernis & ſpecubus ſubterraneis, quæ egeſta humo fiebant, Epirum vaſtabant. Commode ibi domicilium ſibi conſtituere, ſinguli ad ſingulos tranſire deque ſpecu petere ſpecum poterant. Illas vocabant nomine Har-Chaloul. Dicitur oraculum in profundiſſima ſpecuum fuiſſe, quo, ſi quis piam conſultaturus accederet ſupellectilem, vinum, cibum, aliaque humanæ vitæ adminicula & edulia hominibus offerebat, qui inquirendis metallis vitam tolerabant. Facile exinde patet cur montium incolæ dicti fuerint Cimmerii, aut nigri. Tenebris omnia horrebant, ut recte dixerit Homerus, nullum hîc lucere ſolem. Magna quovis die hominum vis aut labore

aut

loci horrore deceſſit. Ergo iis, qui hanc viam ingrederentur in mentem revocabant, non eſſe, quod ſe aliquando dulcem lucem viſuros ſperarent. Nomen ipſum Aidonei deſcendit a voce איד Ed, aut ſi mavis, Aïd. Id ita intelligo, quaſi *mors*, *ruina*, *ἀπώλεια* denotetur, quæ fuit LXX. Interpp. Sententia. Græci promiſcue utuntur verbo *ᾅδης* & *ἀΐδης* ac ſi quis homo *εἰς ᾅδου* appareret. vid. Autor *de l'Explic. Hiſtor. de la Fable de Ceres* p. 112. Ipſe demum Pluto dictus fuit *'Αΐδης* a privatione luminis autore Diodoro Siculo *Biblioth.* lib. V. p. 337. Ita Euripides orcum vocavit *οἶκον ἀγάλιον* & Virgilius in *Æneid.* VI. vſ. 534. *triſtes ſine ſole domos.* Is locus viſus nemini. unde ei hoc nomen inditum. Plutarchus *in lib. an latent. ſit vivend.* p. 1130. quare non adeo abſurda, quæ de Cavernis & ſpecubus regni Epiri tradiderunt.

IX.

Omiſſis Fabulis, excutienda ſunt illa, quæ ſub his tenebris antiquorum ſacrorum Antiſtites myſteria ad poſteritatem tranſmitterent. Hybernum ſolem, quem nomine Plutonis ac moeſti raptoris indicant, rapuiſſe volunt Proſerpinam, quia hyberno tempore

ſemina ſub terris latent ac tacita ſolis vi foventur, ut poſt prorumpant. (*a*) Rapi omnem e terris florem videas, ubi hyems acceſſerit, ita cum Proſerpina abundantiæ magiſtra omne decus ablatum terris crediderunt. (*b*)

NOTÆ.

(*a*) Claſenius *in Theolog. gentili.* Part. II. cap. V. §. I.

(*b*) Pighius *in Mytholog.* ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ p. 1197. E. Certe non irriſui fuiſſe Paganis illud de Proſerpina & Cerere commentum, ipſa quoque teſtantur beneficia, quæ Numini eorum accepta referebant, de quibus Vir ſummus Sigonius *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. IV. p. 1519.

X.

De fatis Proſerpinæ hactenus dixi. His magnum ei decus nomenque partum in omnibus gentilium ſacris. Quare non erit abs re, paucula quædam de cultu ejus meminiſſe, quem raptui Ditis Patris acceptum referre debet. Thala-

mis Plutonis inductam vides, & cum uxor forum mariti ſequatur, eodem quoque cum illo jure frui vides. Cultam ſimul cum Plutone antiqui annales tradunt, (*a*) quamvis non eandem cum Plutone faciem referat. (*b*) Utrique omnium rerum dominium tribuere erant ſoliti, quod ſub terris eſſe exiſtimabant. (*c*) Quivis ergo mortalium, qui morte demum triſte illorum regnum ingrediendum ſibi perſuaſum habebat, propitium ſibi eorum numen apprecabatur. Hoc ſacris hoc expiationibus, hoc reliquis piaculis fieri exiſtimabant. At dubia quondam illorum ſacrorum, quæ in honorem Plutonis conjugiſque fieri ſolebant origo, quippe quæ ipſos aliquando latuerit Romanos. Ergo de illa hæc habe: Valeſus Valeſius, a quo Valeriorum familia deducitur, Vir erat illuſtris inter ſuos. Hic gravi morbo implicitis libe-

ris, inops conſilii Veſtam adiit, conſuluitque, cui ſuam ac uxoris animam pro ſalute liberorum deſpondet. Quum reſpiceret, vocem ſibi viſus eſt audire, quæ juberet Tarentum pueros deducere atque ibi calefactam aquam Tiberinam in Ditis patris & Proſerpinæ foco pueris bibendam dare. Quamvis longa via & ipſo diſcrimine vitæ periculoſior videretur, Tarentum acceſſit. Pueris aquam præbuit, qua pota diutina vi morbi repente ſunt liberati, Patrique indicaverunt ſe vidiſſe in ſomnio, neſcio quos Deorum, ſpongia corpora ſua pertegere & præcipere ut ad Ditis patris & Proſerpinæ aram, a qua fuerat potio ipſis allata, furvæ hoſtiæ immolarentur, lectiſternia ludique nocturni fierent. Is, quod eo loco nullam aram viderat, deſiderari credens, ut a ſe extrueretur, aram empturus in urbem perre-

perrexit. Illi, qui ad fundamenta altaris condenda relicti erant, cum humo egeſta ad viginti altitudinem pedum perveniſſent, animadverterunt aram nomine Ditis & Proſerpinæ inſcriptam. Valeſius, ubi iſta, ſervo nunciante accepit, hoſtias nigras immolavit, quæ furvæ antiquitus dicebantur, ludos & lectisternia continuis tribus noctibus indixit. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Huc facit inſcriptio apud van Dalen *de Oracul. ethnic. Diſſ.* 1. cap. XI. p. 244.

PLUTONI. ET
PROSERPIN
AE. FLAVIA
VENER TA
BESSA. EX
VISU. ÆDEM
D. S. P. V. J. S. L. M.

(*b*) Plutonis imaginem delineavit Ortelius *de Deo. Dearumq. capit.* lib. I. fig. XXI. Proſerpina in imagine, quam accuratiſſime delineavit Eggelingius *in myſteriis Cereris &*

Bacchi pag. 72. pedibus pectoreque nudis & florem Cerealis papavaveris tenens floriparum ver depingere videtur & dulcia gelidæ divortia brumæ, (vid. Probus ad *Virgilii Georgic.* lib. 1. vſ. 212.) ideo autem reſpicere, quod præceps retrogadientem poſt ſe contempletur ſolem; atque ſic torridam nobis æſtatem nudus aperit Vertumnus.

Aquo vertentem fructus percepimus anni,
- - - quique fuit veri meſſoris imago
Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti.

Propertius lib. IV. & II. Ovidius *Metamorph.* lib. XIV. Fab. XVI.

(*c*) Vid. Lucianum Tom. I. p. m. 785. & Claſenium *in Theolog. gentil.* Part. II. cap. VI. § I.

(*d*) Habes apud Valerium Maximum lib. II. cap. IV. § V. Pleniſſime rem exponit Zoſimus lib. II. cap. V. VI. VII.

X I.

Hac ratione innotuerunt Valeſo Valeſio Sacra Ditis & Proſerpinæ. Fluxit exinde mos, ut Diti & Proſerpinæ ad viginti pedes altaria ſub terra ſtatuerent. (*a*) Plutoni, quem dixerunt Ἀγεσίλαον (*b*) tremenda

menda omnibus voce ſacra pleraſque gentes feciſſe, divinoſque honores habuiſſe legimus, forſan ut iram mollirent minaſque morituri averterent. (*c*) Præter Eleos (*d*) aliaſque gentes Romani, qui ſolis ſibi religionis caſtioris laudem vindicabant, ad Circum maximum juxta fanum Juventutis ac in Capitolio Diti Patri templa ac ſacella condiderunt. (*e*) Ibidem ædes Proſerpinæ in hortis ſcholæ græcæ aut juxta eos, ubi carceres circi fuerunt, extructæ. (*f*) Pleramque Proſerpina iiſdem, quibus Ceres locis culta legitur, uti templum Cereris & Proſerpinæ in Odeo (*g*) nec non Argolide (*h*) indicat, ne quid longius de ædibus ſacris commemorem, quæ Athenienſes, Ægienſes, Corinthii, Eleuſinii & Conſtantinopolitani magno Pherephattæ nomini dedicaverunt. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Borrichius *in Antiq. Urb. Romæ fac.* cap. XI. §. VI. init. Græviu *Antiq. Romanar.* Tom. VI. p. 279. C.

(*b*) Quaſi omnes, inferorum regna ut intrarent, compellat, uti annotavit Bellorius in *Deſcript. Sepulcr. Naſonian.* Tab. XII. Majeſtatem ejus, & aulæ, quam nemo fugere poſſit ſplendorem depingit Statius *Thebaid.* VIII. vſ. 21. Conf. Boccatus *in Deor. genealog.* lib. VIII. cap. VI. fol. 206. Meminit etiam Poëta Callimachus illius Ageſilai his verbis: Φειτεῦντι μεγάλῳ Ἀγεσίλαῳ.

(*c*) Plutoni claves tribuunt, quod nemo ex inferno redire poſſit, Pauſanias lib. V. p. 301. immitem eſſe tyrannum ſciebant, ſecundum illa Virgilii *Georg.* lib. IV. vſ. 492. Quare nullæ preces videbantur efficaciores, ſi fidem interponerent ſancteque aliquid promitterent, quam quæ ad Plutonem funderentur, qui perfidos æternis pœnis vivos & mortuos afficere poſſet. Ita Agamemnon Plutonem, Proſerpinam alioſque Deos invocat apud Feithium *in Antiquit. Homer.* lib. IV. cap. XVII. Miror tamen, immitem mœſtumque Regem noctis, uti ait Claudianus, pictum aliquando aureum ac cum alis e nubibus prodeuntem. Vid. Philoſtratum *Iconum* lib. II. & Meurſium *de Cecropia S. Athenar. arce.* cap. XVVII.

(*d*) Vid.

(*d*) Vid. Swertium *ad Deor. Dearumq. capit.* lib. I. fig. XII. fin. Origo ejus, quam omiſit Swertius, talis fuit. Quadriga vectum tradunt Plutonem, ideo in circum maximum introduxerunt, templumque ibidem condiderunt. Pancirollus in *Deſcript. Urb. Rom. Reg.* XI. p. 367. C. Plutonem autem cur Romani colerent, expoſuit Borrichius *in Antiq. Urb. Romæ fac.* cap. XII. §. 3.

(*e*) De his vide aliiſque Strabonem lib. VIII. p. 344. Laurentium *in Variis gentil. Sacr.* cap. X. p. 182. E. Marlianum *in Topograph. Urb. Romæ* lib. V. cap. XII.

(*f*) Marlianus *in Topogr. Urbis Rom.* lib. III. cap. XX.

(*g*) Græviùs *Antiquit. Roman.* Tom. IV. p. 964. C.

(*h*) Lazius *Græc. antiq.* lib. II. cap. IV.

(*i*) De Proſerpinæ apud Athenienſes cultu vide Sigonium *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. IV. Gronovium *Antiqnit. Græcar.* Tom. V. p. 1519. E. De templo ejus ab Athenienſibus dedicato Meurſium *de popul. Attic.* voc. ΚΟΛΩΝΟΣ. & voc. ΑΛΙΜΟΥΣ. eundem *in Athenis Atticis* lib. II. cap. X. de templo Cereris & Proſerpinæ ſupra fontem in Ceramico, quod Ἐλευσίνιον appellabant, Meurſium *de Ceramic. gemin.* cap. XV. init. De cultu ejus apud Lacedæmonios, bello magis quam ſacris addictos, quibus Phloeæ nomine cognita, Meurſium *in Miſcellan. Laconic.* lib. I. cap. III. fin. De honoribus ab

Eleuſiniis ei habitis Meurſium *de populis Attic. voc.* 'ΕΛΕΥΣΙΣ p. 711. de templo apud Ægienſes in foro, Wolfgang. Lazium *Græc. Antiq.* lib. II. cap. III. & apud Corinthios eundem Lazium d. lib. II. cap. III. demum de templo apud Conſtantinopolitanos, quod picturis multis fuit inſigne Gyllium *de Boſphoro Thracio* lib. II. cap. II. & in *Topograph. Conſtantinop.* lib. III. cap. I.

XII.

Dies feſtos, quos nomini Proſerpinæ ſacros voluit Græcia, quatuor nobis narrat Joannes Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. V. n. I. ſq. Quales ſunt α) Ἀνθεσφόρια, β) Κορεῖα, γ) Θεογάμια, δ) Φερεφάττια. Sed plura haberi, aut eorum nomina ſaltem, non dubito. De ſingulis breviter diſpiciamus. Theogamia a Siculis in Proſerpinæ honorem habita ac ritu nuptiarum celebrata. (*a*) Antheſphoria, quæ induſtria Virginum cum primis enituerunt, quaſi florifertum inſtituta ejus rei geſtæ me-

memoriæ, cum e floribus Proſerpina raperetur. (*b*) Κορέια nomen ſuum de nomine Proſerpinæ ducunt, quæ Græcis dicta κόρη, uti jam ſupra monui. (*c*) Pherephattia demum in honorem Pherephattiæ noſtræ inſtituta Cyzicenis cum primis ſacra fuerunt. (*d*) Alii ſunt præterea dies ſacri, de quibus hic ſermo inſtituendus. Scyra, quod multi ac meliores ferme tradunt, Cereri & Liberæ propria (*e*) Liberum ſive Bacchum Pagani Liberamque noſtram in ſuis Lernæis extulerunt, (*f*) & quid de illis Epiſiyris pluribus (*g*) & multa de multis aliis referam?

NOTÆ.

(*a*) Hæc autore Polluce in Onom. lib. 1. cap. 1. Sect. XXXIII. ſcripſi. Hæc Theogamia eadem nonnulli cum ipſis Antheſphoriis putant. Feſtum ritu nuptiarum agebant; atque ex eo in mores Græcorum atque Romanorum ivit, ut à puero caniſtrum pane refertum nuptæ præferretur, atque identidem acclamaretur: Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. *Fugi*

gi malum, *inveni bonum*, ad recolendam beneficii memoriam, quo

Ceſſerat inventis quercus dodonia ariſtis.

Vid. Gronovium *Antiquit. Græcar.* Tom. VII. p. 671. B. Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* voc. ΘΕΟΓΑΜΙΑ hujus moris aliqua veſtigia ſuos Gardimontenſes ſervare ait exque eodem fonte fluere confarreationis ritum credit. Paucula de Theogamiis habet Meurſius *in Græc. Feriat.* lib. IV. p. 790. plura congeſſit Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. XI. ſeſt. I.

(*b*) Habes Ἀνθεσφόρια apud Caſtellanum *de Feſtis Græcor.* p. 617. C. D. Latine dixeris Florifertum. Siculi Proſerpinæ dicarunt teſte Julio Polluce *Onom:* lib. I. cap. I. Cauſam exprimit Arnobius *contra gentes.* lib. V. p. 173. his verbis: *quodam tempore, cum Siciliæ pratulis flores legeret Proſerpina, raptam e floribus eſſe.* Plutarchus in *Lucullo* ea ſacra à nomine *Proſerpinæ* Φερεφάττης etiam Φερεφάττια ſive *Proſerpinalia* dixit. Et a floribus Proſerpinæ fanum quoque nomen accepit Φερεφάττιον. Meurſius in *Athenis Attic.* lib. II. cap. X. Flores Anhtesphoriis ſummam celebritatem attulere. Sed non tantum iis adhibiti flores, verum etiam in reliquorum Deorum ſacris frequens illorum uſus, qua de cauſa Valerius Flaccus *Argonaut.* lib. VI. *frondentes aras*, Martialis lib. III. *epigr.* XXIV.

XXIV. *virides aras* & Propertius lib. III. *eleg.* VIII. *coronatas aras* dixit. Virgines in primis aderant Pherephattiis, quæ ideo Ἀνθεσφόροι dictæ. Argivis quoque curæ fuiſſe exiſtimant Antheſphoria, quia tibiis virginum ſuarum carminibus accinuerint; cui rei indicio eſſe putant ea Julii Pollucis *Onom.* lib. IV. cap. X. verba: Θερακιὸν δὲ (Μέλος) τὸ Ἀργολικὸν ὃ ταῖς Ἀνθεσφόροις ἐν Ἥρας ἐπηύλουν. *Theracius vero (cantus) Argi celebratus, quem a Floriferis in Junonis templo ad tibiam canebat.* Floriſertum meſſe finita oblatum quoque Cereri teſtatur Laurentius *in Var. gentil. ſacris* cap. XVIII. p. 225. F. Curæ omnino antiquis flores, quibus Diis pietatem teſtarentur; florida quippe Diis gratiora & chariora eſſe exiſtimabant. Vid. Gronov. *Antiquit.* Tom. VIII. p. 1884. B. In primis Cereri coronam electiſſimis floribus ſacram eſſe voluerunt Epheſii. Menetrius *in Dian. Epheſ. Statua.* p. 369. C. D.

(*c*) Teſtis Scholiaſtes Pindari *Olymp. Od.* VII. his verbis; πολλοὶ δ᾽ ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ, Λύκαια, κορέια, Ἀλέαια. *Multa vero celebrantur certamina in Arcadia, Lycaea, Corea, Aleaa.* Meminit præterea horum ſacrorum Plutarcus in *Dione.* Nomen Core notiſſimum. Κόρην Græci dicunt virginem, & ita ſæpe vocant Proſerpinam. Petrus Gyllius *de Antiq. Conſt.* lib. III. cap. I. Inſcriptio apud Gronovium *Antiquit.* Tom VII. p. 817. C.

SA-

SACRATÆ. APUD. LERNAM.
DEO LIBERO. ET. CERERI.
ET CORÆ.

& Gruterum *in Volum. inſcript.* p. 309.

FABIÆ. ACONIÆ. PAULINÆ. C. F. FILIÆ. AQONIS. CATULINI. V. C. EX. PRÆF. ET. CONSULIS. ORDIN. VETTI. PRÆTEXTATI. V. C. PRÆF. ET. CONSULIS. DESIGNATI. SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM. DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APUD. LAERNAM. DEO. LIBERÆ. ET. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APUD. ÆGINAM. DEABUS. TAUROBOLITÆ. ISIACÆ. HIEROPHANTRIÆ. DEÆ. HECATÆ. GRÆCO. SACRATÆ. DEÆ. CERERI.

Lacedæmoniis præterea fuere magiſtratus, qui dicti *κόροι*, de quibus videndus Meurſius *in Miſcellan. Laconic.* lib. II. cap. IV.

(*d*) Pherephattia in honorem Proſerpinæ celebrarunt Ciziceni mactata bove nigra. Mentionem ejus facit Plutarchus in *Lucullo.*

(*e*) Dixit de eo feſto Meurſius *de populis Attic.* voc. *σκίρον*. & in *Græcia feriat.* lib. V. p. 851. voc. *σκίῤῥα*. Caſtellanus *de Feſtis Græcor.*

tor. voc. σκιροφόρια p. 694. Gronovius *Antiquit.* Tom. IV. p. 787. B. Minervæ id plerique tribuunt, nec abnuo, quod in Phalero minervæ τῆς σκιράδος fuerit templum, uti oſtendit Meurſius in *Piræeo* cap. X. Verum Scholiaſtes Ariſtophanis & Harpocration apud Meurſium & Caſtellanum dd. ll. Cereri tribuunt. Nomen ei datum putant ab umbella, quæ σκίρον dicebatur, quam ſacerdotes Minervæ, Neptuni & Solis ex arce Scirum abeuntis (is erat locus in Attica) ferre ſolebant. Nomen his, qui ferebant, *Eteobutadis* inditum, umbella autem erat colore albo. Denotabat umbella, jam veniſſe tempus, quo ædes commode extruerentur. Qui pompam inſtruebant, pellibus victimarum Jovi Milichio & Cteſio Cæſarum utebantur. Ephedi certabant curſu, palmitem uvis onuſtum geſtantes, quam ὄσχην dicebant, & ab eo certamen illud ὀσχοφόρια. Paucula quædem de celeberrimo nomine σκίρον adjiciam. Duplicem Tragœdiam, quæ hoc nomen ferret, ſcripſit Euripides teſt. Meurſio *in Euripide* p. 474. F. Nomen fuit hominis, uti illius Scironis, qui Virgilium erudivit laudaturque a Gronovio *Antiquit.* Tom. III. lit. QQQ & prædonis Pytiocamptis, qui interemptus eſt a Theſeo, juxta Scironia ſaxa, quæ in ditione Magarenſi fuiſſe ſcribit Laurembergius *in Græc. Antiq.* p. m 27. A. conf. Gronovius *Antiquit.* Tom. VI. p. 3535. D. Scirum quo-

que

que fuiſſe vatem Dodonæum, qui Minervæ τῆς σκιράδος templum condidit, venitque Athenas, quo tempore bellum Eleuſinii cum Erechtheo Athenienſium Rege gerebant, commemorat Meurſius *de Piræeo* cap. x. De Sciriti Laconiæ loco ex Thucydide & Diodoro Siculo Meurſius in *Miſcellan. Lacon.* lib. IV. cap. XIV. Sciritæ quoque genus militum apud Lacædemonios peculiare, quos ſiniſtrum cornu tenuiſſe Emmius *Rer. Græcar.* Tom. III. *de Republ. Laced.* p. 500. C. refert. Atque hæc prætoria cohors ſexcentorum lectiſſimorum militum (Emmius *Rer. Græcar.* Tom. II. *ex Thucydide* lib. v. p. 303. F.) talis fuit Lacedæmoniis, quales Aſſyrii Hyrcanis. Cragius *de Republ. Lacedæm.* lib. 4v. cap. IV.

(*f*) Ea in honorem Cereris, Liberi & Proſerpinæ celebrata. Inſcriptio apud Meurſium *Græciæ feriatæ* lib. v. p. 817.

SACRATÆ. APUD. LERNAM.
DEO LIBERO. ET. CERERI.
ET CORÆ.

(*g*) Hæc Athenienſium Sacra Stephanus in σκίρος. & Strabo *Geograph.* lib. IX. deſcribit. Etiam ludus hujus nominis in Græcia celebris. Pollux *Onom.* lib. IX. cap. VII. & Meurſius *de ludis Græcorum voc.* ἐπίσκυρος. p. 955. D.

C A-

Caput Quartum.

De ipſo Luminum igniſque Cultu, lychnuchorum, lucernarum, lampadumque nomine, in genere de ſacris nocturnis, delubris obſcuris, quæ cereis facibuſque ornata.

§. I.

HUnc Proſerpinæ raptum, facibuſque iter facientem Cererem, Eleuſiniis ſuis Græci facibuſque accenſis adumbrarunt. Jamque de his dicendum foret, ſed ſuperſunt pauca, in genere quæ de luminum cereorum igniſque cultu dici in hoc capite quarto debent, de Eleuſiniis ergo, Panathenæis, reliquiſque luminum ſolennitatibus ſequentibus capitibus inſtituam ſermonem. Sunt equidem, qui olei, cereorum ac lumi-

luminum uſum frequentem fuiſſe antiquis temporibus negaverint, at facere cum his nequeo, qui rem ab omni antiquitate alienam tueantur. Ecquis enim Pontifices antiquiſſimorum Hebræorum, aut Reges oleo inunctos fuiſſe neſcit? (*a*) aut quem fugit Æneæ jam tempore tædas aris admotas, ſacrificiiſque adhibitas? (*b*) demum, quis tam ignarus, ut de lucernarum antiquo ritu plane ipſi non conſtet, (*c*) quibus Philoſophiæ quandam partem comprehenderent?

NOTÆ.

(*a*) Vid. Toſtadum *in Commentar. ad lib.* I. *Samuel. cap.* X. *quæſt.* II. Iſidorum *de Eccleſiaſt. offic.* lib. II. *cap.* XXV. Tremellium & Grotium *ad Exodi* cap. XL. vſ. 15. Pinedam de *Rebus geſtis Salomon.* lib. II. cap. VI. Seldenum de *Succeſſ. Pontif. Ebræor.* lib. II. cap. IX.

(*b*) Kippingius *Antiquit.* lib. I. cap. XII. §. X.

(*c*) Lucerna antiquis animum vitamque ſignat;

ſignat; unde illud Euripidis χαῖρε φίλον φῶς, quod morituri dicere ſolent. Hinc lampadum quoque ludus antiquiſſimus vitæ propagationem ſignificare ſolet, cum per vices alter alteri ſuccedunt

Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt,

ut ait Lucretius. Nec inepte Plutarchus lucernæ hominem comparavit lumine rationis præditum, quo obſcura & incognita nobis illuſtrantur. Cedunt enim tenebræ, ubi veræ ſapienriæ lumen effulſerit, quod legis divinæ in primis ſtudio adipiſcimur; quam ipſam *lucernam nobis eſſe* dicit magnus Propheta, *lucernam pedibus & lumen ſemitis noſtris*. Pighius *in Themide Dea* p. 1167. C. Facem ardentem & erectam, ut aſcendentis & orientis eſt ſolis, ita etiam amoris & vitæ notam crediderunt. Hinc, Veneri non tantum & Cupidini tribuitur, ſed etiam Ilithyiæ, quæ parientibus adeſt & Lucina vocatur, id quod Homerus teſtatur aliquoties neque præterit Pauſanias apud Stephanum Pighium *in Mytholog*. ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ, in Gronovii *Antiquit*. Tom. IX. p. 1195. A.

II.

Illi qui oleum, cereos luminumque uſum cognitum antiquiſſimis

ſimis negant, ad lumen, ajunt, faciendum lignis aridis & ſiccis, quæ per noctem famulus accendere ſoleret uſos fuiſſe. (*a*) Sed a veritate aberrare ipſis antiquis Athenæo, Etymologo & Euſtathio videntur. (*b*) Lampades, Funalia, Lychnuchi, Faces, Lucernæ, Tædæ, Cera, ſatis cognita antiquis. De ſingulis ac de ſingulorum nomine quædam præmittam, ne poſtea, cum ad ipſam luminum ſolennitatem acceſſerim monere iterum neceſſe ſit.

NOTÆ.

(*a*) Hæc corroborare ex Homeri *Odyſſ.* C. vſ. 305. putant.

(*b*) Vide Allatium *de Patria Homeri* cap. III.

III.

Lampas, Græcis λαμπάς, compluribus linguis vox communis (*a*) nec tantum ipſæ hoc nomine lam-

lampades denotantur ab antiquis, ſed libros præſtantiſſimos quoque (*b*) ſolem, (*c*) inſulas, (*d*) ſpectra, (*e*) Cometas (*f*) lampades dixerunt, lucernamque ipſius præſidem ſcripturæ nuncuparunt. (*g*) *Funalis* vocem ab ipſa materia, unde confici ſolita deſcendere ſcribunt, (*h*) eaque non ſolum Diis dicata legimus (*i*) verum etiam regiis domibus illata accenſaque comperio. (*k*) *Lychnuchi* fuere, quibus in Cottabiſmis, certis Græcorum ludis, poſitis immittebant lanceam, quod ſi quiſpiam attigiſſet μάνην lychnuchi victor habitus, nec ſecus, ac in ludis Olympiacis victores, laudatus. (*l*) Eo ſub nomine etiam aliquando ipſas lucernas ſepulcrales latitare referunt, quas bilichnes dicunt, quid quod ἐνδεχάλυχνον ſe vidiſſe nonnulli adfirment. (*m*) *Faces* fuſtem inciſum cera vel pice unctum denotant pro faciendo lu-

mine

mine (*n*) ac eo nomine homines quoque (*o*) & ſtellas (*p*) pingunt. Peculiaris quoque antiquorum dictio: *Inſpicare faces*, exinde nata deque facibus prædicari ſolita. (*q*) Ad *Tædas* quod attinet, illæ e ſpinea alba fieri ſolitæ (*r*) ſive pinu, *Belg. Pynboom*, (*s*) nuptis in primis præferebantur. (*t*)

N O T Æ.

(*a*) De lampadis voce multa plæclare diſſerit Bynæus *in ſeinem gecreuzigten Chriſto* cap. xi. l. vi. p. 375. De Chriſto, quem lampade accenſa capiunt loquitur, ac inprimis hæc Evangeliſtæ verba *μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων* attendenda eſſe ſcribit. conf. Plautus *in Caſin.* Act. iv. *Scen.* iv. vſ. 16. Statius *Thebaide*. x. vſ. 121.

b) Sic Gorgiæ illius præſtantiſſimi Rhetoris orationes *λαμπάδας*, & dies, quibus recitatæ ſolennes dixere inaudito prorſus & admirabili. exemplo Creſollius in *Theatr. Veter. Rhetor.* lib. i. cap. v. p. m. 32. B.

(*c*) Virgilius *Æneid.* lib. iv. vſ. 6. & Silius *Punicor.* lib. x. vſ. 111. Plinius *Hiſtor.* lib. x. cap. 111.

(*d*) Nie-

(*d*) Niederſtet *de melit. veter. ac nova* lib. I. cap. IX.

(*e*) Statius *Sylvar.* lib. II. *carm.* II. vſ. 119.

(*f*) Plinius *Hiſtor. natur.* lib. II. cap. XXVI.

(*g*) Fulgentius apud Barthium *Adverſarior.* lib. XX. cap. XXI.

(*h*) Germanis Funale *een Fakkel*, unde cereus funalis dicitur Valerio Maximo lib. III. cap. VI. n. IV. Funales equos habes apud Suetonium *in Tiberio* cap. VI. ab eo quod juncti eſſent.

(*i*) Tomaſinus *de Donar.* cap. V. p. 776. D.

(*k*) Virgilius *Æneid.* I. p. 172.

Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi & noctem flammis funalia vincunt.

(*l*) De lychnuchis vid. Grævium *Antiquit.* Tom. XII. p. 1248. C. Græcis λυχνοῦχος omne id denotat, quod lucernam ſuſtinet. Plinius *hiſtor.* lib. XXXIV. cap. III. lycnuchorum penſilium in delubris mentionem facit. De lychnuchis in Cottabiſmis Græcorum Meurſius *de ludis Græcor.* p. m. 968. B.

(*m*) Hæc ex Gutherio *de jure Manium*

F lib.

lib. II. cap. XXXII. qui Salernitanam inſcriptionem addit.

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QVISQ
(Iↄ Iↄc XLVIII. 17.) HUIC. TUMULO
POSUIT
ARDENTEM. LUCERNAM
ILLIUS. GENERES. AUREA
TERRA. TEGAT.

(n) Vid. Horatium lib. I. Satyr. IV. vſ. 52.

(o) Juventutem facis nomine provocat Florus lib. I. cap. I. n. 5. Junonem Valerius Flaccus *Argonaut.* lib III. Jovem Devonius de bello Trojan. lib. V.

(p) Lucretius lib. V. vſ. 1190.

(q) Notum Latinis verbum *ſpicare*, quod proprie frugum eſt, cum extra culmum protrudunt ſpicias, qui maturus & plenus non unum, ſed plura acumina oſtentat, quæ Latini ariſtas vocant. Hinc & illud Virgilii *Georg.* lib. I. vſ. 262. *Ferroque faces inſpicat acuto.* Bergierius *de Publ. & Milit. Roman. imper. viis* lib. II. Sect. XX. §. II. Ita in Gallicam linguam traduxit: *fendre & barbeler le bout d'un Flambeau à mode d'eſpy de bled.*

(r) Catullus *epigr.* LXII. & Muretus *in Com-*

Comment. ad h. l. p. 77. & Robortellus. *in Miſcellaneis* pag. 1425.

(*ſ*) Hinc & *faces tedæ* dicuntur Ciceroni in *Orat. pro Roſcio* cap. XXIV. Vitruvio lib. V. cap. X. Homineſque faces atque tedæ vocantur. Tedæ voce ad illam Alecto Virgilius lib. *Æneidos* VII. ad omnes furias Florus lib. III. cap. XII. n. 13. ad Antonium idem lib. IV. cap. III. n. 2. ad Paridem Virgilius *Æneid.* lib. VII. v. 319. & Lohenſtein *in Cleopatra* Act. I. vſ. 964. provocat.

(*t*) De his infra plenius exponam.

IV.

Superſunt *Lucernæ* , *Cerei* atque *Cera*. *Lucernæ* omni fere ævo antiquis notæ, quibus flammam oleumque peculiari ratione confectum foverent. (*a*) *Cereorum* nomen apud antiquos celeberrimum, hi Diis appendi ſoliti, unde nata vox, quæ difficillima olim viſa doctiſſimis viris, *Incerare Genua Deorum.* (*b*) In ſaturnalibus mittebant cereos, iiſque ſupplicatum Diis ipſique Dii tanquam Patroni

incerati. (*c*) Cereis funalibus ſummos in republica Viros ornarunt, quando bellum confeciſſent, aut aliquo modo patriæ incrementum decuſque attuliſſent, cujus celebre exemplum Barthius *Adverſar.* lib. xxxiv.cap.ix. & Macrobius *in Saturnalibus.* lib.i.cap. vii. ſiſtit. Nec omitti debet hoc loco, quod cereæ fuerint virorum illuſtrium imagines, (*d*) ac cereæ illorum in funere latæ imagines (*e*) quid quod in inquirendis *ceris* curam antiquorum maxime verſatam memoriæ prodiderit Bulengerus *de Pictur. Plaſt.* libro i. cap vi.

NOTÆ.

(*a*) Complura lucernarum antiquis genera fuiſſe non obſcure colligo ex Catone *de re Ruſtic.* lib. i. cap. xxxvi. in primis lucernæ Aretinæ mentio fit, ut cæteris nobilioris apud Catonem d. lib. i. cap xxxvii. At oleum Cedrinum inutile exiſtimabant, quo lucernas inſtruerent, capiti quippe dolores fumus inferre creditur. Bellonius *de admirabil. oper. antiquor. præſtant.* lib. iii. cap. i. Cæterum de antiqua & optima lychno-

norum conficiendorum ratione prodidit Barthius *Adverſar.* lib. x. cap. xx. ignem, ait, ſuperpendentem ceram aut oleum calfaciendo reddidiſſe liquidum, quod guttatim perfabré appoſitum foramen anguſtiæ convenientis deſtillans alebat flammam eam, quæ ipſa itaque calore pabulum ſibi quærebat.

(*b*) Vid. Laurentium in *Var. gentil. Sacris* cap. II. p. 154. A. Macrobium *Saturnal.* lib. I. cap. VII. qui hunc ritum expoſuit. oblationem cereorum præterea apud veteres ſacrificii genus fuiſſe, oſtendit Barthius *Adverſar.* lib. VIII. cap. I. alia habes apud Martinum Lipenium *in Sirenar. hiſtor.* cap. III. §. XLVIII.

(*c*) Incerabant cum primis Deorum genua, qui votum a ſe ſuſceptum oſtendebant & alicujus delicti reos ſe fatebantur. Adrianus Turnebus *Adverſarior.* lib. I. cap. XVII. Plinius lib. x. *in epiſtola ad Trajanum.*

(*d*) Vid. Grævium *Antiquit. Romanar.* Tom. x. p. 586. Ita Bergierius *de Publ. & militar. Roman. imper. viis.* lib. v. Sect. XIII. §. 4. *Cereæ effigies Virorum illuſtrium præcipue triumphalium mature in uſum venerunt. Hoc jus imaginum cerearum habebant Viri nobiles & qui honoris geſſerant.* Adde quæ ex Nazarii Panegyrico in Conſtantinum ſcripſit Guido Pancirollus *in Notit. dignit. imper. Orient.* Vid. Grævium *Antiquit. Romanar.* Tom. VII. p. 1399. E.

(*e*) Bergierius c. loc. Quocum confer Herodia-

rodianum lib. IV. cap. 11. Eo refero, quod cereas geniorum imagines Ægyptii faſciis involverent eaſque defunctorum ſuorum tumulis immitterent, prout oſtendit Kircherus *in Oedipo Ægypt.* Tom. III. Synt. IV. cap. IV. §. 3. p. 267.

V.

Hæc de luminibus, facibuſque, Deos quibus extulerunt. Sed non ipſos tantum Deos lumine & flammis verum etiam ipſum ignem flammaſque divino cultu extulerunt. Aſſyrii & Medi nulla pietate magis noti, quam qua flammas ignemque colerent. (*a*) Eum quoque Perſarum fuiſſe morem referunt, qui ignem æternum aut patrium tanquam præſens Numen obteſtabantur, caſtriſque motis præferebant. (*b*) Huic igni dicata quædam adyta & ſacraria, quæ πυρεῖα & πυραθεῖα vocabantur; ac ea fuit cura Magorum, ut, ne quid deeſſet cultui ſacri ignis, proſpicerent. (*c*) Ipſo

Ipſo in ſole Gentes ignem, præſertim Perſæ adorare ſolebant, qui elementis cæteris in corpore humano prædominetur. (*d*) Tanta huic Genti inerat ignis Religio, ut qui illum colerent, obnuberent caput, forſan ne rem divinam profanis oculis intuerentur. (*e*) Phœnicum mira ſtudia aut ſuperſtitio, qui ignem reliquarum gentium more inter divos retulerunt. (*f*) Ignis cultus celeberrimus apud Arcadios, qui in templo Cereris atque Proſerpinæ ignem æternum cuſtodire, magniſque proſequi honoribus ſolebant. (*g*) Ne diutius obtundam aures Lectoris multa ediſſerendo de ignis cultu, qui apud reliquas gentes obtinuit, (*h*) Romanos omiſſis cæteris hoc tantum loco nominabo. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Lohenſtein *in Arminio* Part. II. lib. V. p. 879. A.

(*b*) Diodorus Siculus *Biblioth.* lib. XVII.

(*c*) Strabo *Geogr.* lib. XV. p. 733. ubi ſimul addit, a Cyro aut Magis id profectum, ipſoſque Perſas cuicunque Deo quum victimas cederent, aut ſacrificarent, ab invocando igne ſacra ſua auſpicatos.

(*d*) Ortelius *de Deorum Dear. capit.* lib. I. fig. IX. fin.

(*e*) Novarinus in *Schediaſmat. ſacr. prophan.* lib. IV. cap. IX. n. 42.

(*f*) Hæc annotavit ex Euſebii *Præparat. Evangel.* lib. I. Boxhornius *ad Plutarchi quæſt. Roman.* cap. I. n. 2. verbo: *alterum maseſt alterum fæmina.* Adi Grævii *antiquit. Roman.* Tom. V. p. 978. B.

(*g*) Cherbury *de Religion. Gentil.* cap. XII. p. 142.

(*h*) Quædam annotavit Lipſius *de Veſta & Veſtalib.* cap. XV.

(*i*) Lege Pierium Valerianum *de fulminum ſignif.* p. m. 611. B. Hæc poëtæ verbo *mori* exprimunt, qualia ſunt verba Statii: *moritur prope conſcius ignis.* Plura congeſſit Barthius *Adverſariorum* lib. X. cap. II.

VI.

V I.

Diis ſacrum ignem, cumque Diis cultum omnibuſque pene templis illatum antiquorum ſapientiſſimi proſecuti honoribus leguntur. Heraclitus dominari ignem per univerſum ſtatuebat. (*a*) Chaldæorum prudentiſſimi ignem circumtuliſſe feruntur, quem veluti Numen totius regni intuebantur, cumque omnium nationum Diis contendiſſe, ut qui Deus omnes Deos viciſſet, ab omnibus coleretur. Quare cum aurei, argentei, ærei, terrei aliuſque generis Dii conſumerentur, omnibus in locis omnes Deos Chaldæorum Deus ſuperaſſe dicitur. (*b*) Affingunt alii Deo Pani, quo nomine omnia veteres intelligunt, uti poſt alios obſervavit Lohenſtein in Oratione funebri Dn. de Hoffmanswaldau. Lampades atque

faces (*c*) ac ſi primo loco ignem faceſque cultas vellent, quibus Deos ſub uno nomine omnes extulerunt. Nullum ergo ſacrificium (*d*) neque luſtratio ſine igne (*e*) magni quoque Athenienſes, qui cæteris ſapientiæ laudem præripiunt, nomen eorum fecerunt, qui primi ignis excitandi artem poſteros edocuerunt. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Vid. Gronovium *Antiquit.* Tom. II. 56.

(*b*) Svvertius *in notis ad Ortelii Deorum Dearumq. capit.* lib. II. fig. XXIX.

(*c*) Vid. Clariſſ. Reineſium. p. 173. & Spon *Miſcellaneor.* p. 85. Reineſius inſcriptionem addit his verbis:

LUCIDO PANI.

(*d*) Diis rem divinam igne omnes gentes fecerunt. Non Romanis, non Græcis, non Aſſyriis, non Perſis non Trajanis ipſiſque præſertim Judæis id ſacrificii genus ignotum. Aris & altaribus ignem flagrare conſpicias. In altaribus, quæ Diis ſuperis tantum erigebantur, ignis, S. thus adolebatur. In aris, quibus, ſuperos ſimul & inferos colebant, ignem quidem videas, ſed non purum, ſed qui

qui omnia abſumeret, ſed quo omnia cremarentur. Adolere enim dixerunt igne puro, thure, precibuſque Deos placare. Laurentius *in Variis gentil. Sacr.* cap. IV. conf. Lipſius *de Veſta* cap. XV. p.m.635.

(*e*) Ignis quippe maximam in luſtrando vim eſſe exiſtimabant. Laurentius c. tr. cap. XVII. p.224. C. conf. Gronovius *Antiquit.* Tom. VI. p.3727. E.

(*f*) Ignem primum inventum eſſe apud Eupyridas Athenienſes jactant, unde vox Ἐυπυρίδης. Vid. Gronovium Tom. IV. p. 718. C.

VII.

Hæc de luminum nomine igniſque cultu. Jam ad templa, dies feſtos, luſtrationes, nuptias, triumphos, funera antiquorum luminibus illuſtria me converto. Fuere, quod prima fere ætate innotuit, gentibus ſacra quæ nocturno tempore ad Deorum aras facerent. Fuere delubra obſcura adque venerationem compoſita, quæ luminibus accenſis illuſtrarent. Eo primam originem (ſi

quod res eſt dicendum) luminum, quibus aræ, quibus luci, quibus antra ornata, in quibus multa nocte rem divinam facerent. Inferos, (*a*) Deos manes, umbras ſilentio noctis aut lunæ colunt, manes propitios ſibi apprecantur, utque felix fauſtumque hoc reipublicæ ſit, votis contendunt. (*b*) Sed multa de manium cultu prodere nolo, multis hæc alii. Antiquiſſima fuiſſe ſacra nocturna oſtendam, hiſque addita lumina. *Kabiria*, quorum origo ab antiquiſſimis temporibus repetenda, quibuſve nomen myſteriis inditum, noctu celebrata fuerunt. (*c*) Diti Patri nocturnis ſacris boves nigri oblati. (*d*) Κοτύττια quoque nocturna ſacra fuiſſe complures tradunt. (*e*) Suum Belum veteres non niſi provecta nocte adire audebant, quando aut conſilium ejus exquirerent aut fatis cognoſcendis operam darent. (*f*) *Ephe-*

Epheſia Sacra, quorum longe eminentiſſima fuit gloria in foro Epheſino adfluente Civium turba habita, cum rueret nox, & omnia urbis loca Funalibus lucerent. (*g*) Etiam Cererem quæ fere cum Diana eadem, cultam referunt nocte & nigra veſte, quæ noctis faciem referre videbatur. (*h*)

NOTÆ.

(*a*) De eo cultu, quo inferos antiqui efferre ſolebant, conſule Laurentium in *Variis gentil. Sacr.* cap. XIV. p. 204. E. Magna fuit manium apud antiquos gloria ipſique Dii & numina manium dicti apud Boiſſardum *Antiquit. Romanar.* Tom. V. fol. 20. inde Sanctio *ll.* XII. *tabb.* nata: *Deorum Manium jure ſancta ſunto. Hos letho datos Divos habento*, apud Moreſtellum *de Pompa feral.* lib. VIII. cap. II. n. 2.

(*b*) Forſitan ideo manes noctu cultos exiſtimes, quod triſtes dirasque noctes redderent, quarum vigilias morbus & creſcente formidine mors ſequeretur, ſecundum Plinium *epiſt.* lib. VII. & Gutherium *de jur. manium* lib. II. cap. XVI. p. 273. cum primis memoria dignum, quod mortuos ſuos

nondum orto ſole, aut certa luce extulerint, tum in pompa prælatæ faces, tum lumina. Exemplis rem illuſtrat Pfeifferus in *Antiquit. Græc.* lib. IV. cap. XLVII. Ergo Eumenides illos mortuorum præſides in arce ſua Athenienſes æterna lampade colebant. Habes apud Æſchylum *in Eumenid.* vſ. 1047.

(*c*) Hæc ex Meurſio *in Græcia feriata* lib. IV. p. 805. C. ſcribimus.

(*d*) De nigro bove videndus Tibullus lib. III. eleg. V. De reliquis monet Taffinus *de anno ſecular. Romanor.* Part. I. cap. X.

(*e*) Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p 678. D.

(*f*) Annotavi ex Herodoti lib. I. cap. CLXXXI. conf. Dalen *de Oracul. ethnic. diſſ.* I. cap. X. p. 228. 229.

(*g*) Vid. Jonſtonum *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. IV. n. 18. & Faloldum *de Feſtis Græcor. Decad.* IX. Feſt. VIII. Majoris ſunt momenti, quæ adduxit Meurſius *in Græcia feriata* lib. III. voc. Ἐφέσια Epheſii, qui perpetui Neocori erant Dianæ, ut verbis utar Dalen *Diſſ. de Neocor. ſacerdot. & urbib.* lib. IV. p. 341. In Dianæ honorem ſua Epheſia celebrarunt, multa cnm hilaritate & temulentia pleno per totam noctem foro, quare Achilles Tatius lib. VI ſcripſit: ἦν δὲ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐφέσῳ ἱερομηνία, καὶ μεθυόντως πάντα μεστά, ὥστε καὶ δι᾽ ὅλης νυκτὸς τὴν ἀγορὰν ἅπασαν κατεῖχε πλῆθος ἀνθρώπων.

των. Erat autem Dianæ (Epheſiæ) ſacra luna & ebriorum omnia plena, ut etiam tota nocte forum omne obſideretur ab hominum turba. Luxus & publicæ gratulationis, quæ in illis inſtituta legitur quoque apud Strabonem *Geograph.* lib. XIV. & meminit Thucydides lib. III.

(*b*) Menetreius *in Dian. Epheſ. ſtat.* p. 363. D.

VIII.

Sed alia quoque de ſacris nocturnis ſuperſunt antiquitatis monumenta. Trophonii oraculum, quod omnium, quæ in Græcia inclaruerunt, celebratiſſimum fuit, noctu adire debebant, qui ſuis rebus conſultum vellent. (*a*) Eleuſinia, de quibus toto capite quinto loquar, provecta jam nocte Cereris honori adminiſtrata. (*b*) Bacchi ſacra Nycteliorum nomen oſtentant, quod ſilentio noctis apud Græcos haberentur. Silentium in iis, nec myſteria ad aures profanas. Nocte ſuis gentiles in mentem forſitan revocare voluiſſe con-

conjicio, ut idem eſſet in ſacris, quod noctis ſilentium. (*c*) Sic oraculum illud Colophonium, quod per aquam reſponſa edidit, tum demum vaticinari credebant, ſi ſtatutis noctibus multa ante ſacra fuerint facta. (*d*) Cybeles ſacra noctu quoque & ſilentio peracta novimus, (*e*) quæ eadem de ſacris Epheborum apud Lacedæmonios nocturnis prædicare licet. (*f*) Hecaten Athenienſes epulis noctu habitis placabant. (*g*) dulciſſimaſque Gratias ſuis Chariſiis extulerunt, in quibus is vicit, teſte ſummo Viro Euſtathio ad Homeri Iliad. x. qui plurimum pervigilaſſet. De aliis nocturnis ſacris vid. huj. tr. cap. v. §. I. not. c. d. §. v not. f. & cap. VII. §. XI. not. b. Quid quod in certaminibus gymnicis leves curſus ante ſolis ortum inſtituti, quaſi roboris exiſtimarent in tenebris atque umbris laudem captare. (*h*) Romæ, quamvis No-

ſturnis Sacris vix condita urbe plebi eſſet interdictum, (*i*) non tamen eo decreto ſublati nocturni Deorum honores, quos fuiſſe perpetuos ipſa docuit experientia omnium rerum magiſtra. Tantus fuit apud veteres noctis honos; hanc Deam, hanc Deorum cultui maxime inſervientem credebant. Hanc Poëtæ, quos inter eminet Orpheus, omnium rerum parentem prædicant, tenebraſque prima rerum exordia dicunt. (*k*)

N O T Æ.

(*a*) De quo vide Pfeifferum *in Antiquit. Græc.* lib. I. cap. LVII. p. 154. & Theramenem *meum* Act. III. circ. init. Addo, quæ van Dalen *de Oracul. Ethnic. Diſſ.* I. cap. III. p. 62. cap. VIII. p. 187. cap. XVII. p. 381. multis conſcripſit. Huc inprimis illa Pauſaniæ verba ſpectant: *ἐν δὲ νυκτὶ ᾗ κάτεισιν ἕκαστος ἐν ταύτῃ κριὸν θύουσιν ἐς βόθρον Ἐπικαλούμενοι τὸν Ἀγαμήδην. Verum ea, qua quis nocte deſcendit, arietem mactat àd ipſam foveam, invocato Agamedis numine.*

(*b*) Fa-

(*b*) Faſoldus *de Feſt. Græcor.* Dec. 11. Feſt. 1. n. 14. ſq. *hæc*, inquit, *Sacra nocte agitabantur; ſicuti enarrator Comici ad Ranas docet his verbis*: Νύκτωρ ἐτελεῖτο τὰ μυστήρια. Adde Gregorium Nazianzenum *in Orat.* περὶ ἁγίων φώτων. & Euagrium *in Hiſt. Eccleſ. l.* 1. *c.* x. Cur autem Cereris ſacra fuerint nocturna exponit. Menetreius *in Diana Epheſ. ſtatua* p. 379. D.

(*c*) Bacchi ſacris nomen inditum Nyctеliis, quod eſſent nocturna. Teſtis Servius in *Æneid.* IV. ita Euripides *in Bacchis* vſ. 485. 486.

Πενθ. τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς
Διο. Νύκτωρ τὰ πόλλα· σεμνότητ' ἔχει σκότος

Sacra noctu an per diem agis
Noctu multa: venerationem habent tenebræ.

Certos de nycteliis habes ritus apud Theocritum Idyll. 11. Virgilium *Ecl.* VIII. & *Æneid.* IV. vſ. 518. Senecam *in Medea* vſ. 751. Lucanum lib. VI. vſ. 654. Pauſaniæ elegantem locum habes apud Van Dalen *in Antiquit. Diſſ.* 1. cap. VII. p. 84. & d. cap. VII. p. 92. Ubi ſilentium in myſtis, nec minus in occultandis Liberi ſacris, quam Eleuſiniis ſtudium. Ipſi Thebani, quod Auguſtinus *de Civitat. Dei* lib. VII. cap. XXI. & ad

ad hunc Vives annotavit, ſacra nocturna Baccho in monte Cithærone faciebant, & quidem tertio quovis anno. Nyctelia dicta, quod noctu fierent, Trieterica, quod tertio quovis anno. Laurentius *in Variis gentil. ſacris.* cap. XXII. Ipſum Bacchum Athenienſes Νυκτέλιον dixere, ut eſt in Plutarcho cujus locum adſcripſit Meurſius *Atticar. lection.* lib. I. cap. XXVII. Nomen id deſcendere putant a nocturna vociferatione, quamvis Servius *ad Æneid.* lib. V. vſ. 302. originem illius ad orgia, ſive Bacchi ſacra noctu celebrata referre malit. Vid. Nicolaum *de Ritu Bacchanalior.* cap. III. n. IV. nec ſpernenda ſunt, quæ de Nyctelii nomine habet Svvertius *ad Ortelium de Deorum Dearumq. capit.* lib. II. fig. XXXI. Cæterum locus, ubi nocturna Liberi Patris Sacra in Græcia peragerentur ſtagnum fuit Alcyonium, per quod ad inferos idem Liber deſcendiſſe perhibetur. Laurembergius *in Græcia antiq.* p. m. 52. C.

(*d*) Jamblichus *de myſter. Ægypt.* Sect. III. cap. II.

(*e*) Menetreius *in Diana Epheſ. Statua* p. 379. D.

(*f*) Meurſius *in Miſcellan. Laconic.* lib. II. cap. XIV.

(*g*) Faſoldus *de Feſtis Græcor. Dec.* VII. Feſt. VIII. n. 4.

(*h*) Faber *in Agoniſtico* lib. I. cap. XXX.

(*i*) Cautum in legg. Romanor. antiquiſſimis:

mis: *Nocturnas in Templo vigilias ne habento.* Vid. Balduinum *ad legg. Romuli* leg. VIII. Sed ea tantum prohibita ſacra nocturna exiſtimo, quæ rite non fierent. Confirmat me Cicero *de legg.* lib. II. *Nocturna*, inquit, *mulierum ſacrificia ne ſunto; præter illa, quæ pro populo rite fiunt. Non lege Romuli, non lege eorum, qui poſt Romanis præerant, ſublata ſacra antelucana, ſed delicta atrociſſima, quæ leviſſimus quiſque talium ſacrorum occaſione poterat conflare. Quod ſi delicta & crimina forent abolita, quis nocturna ſacra tolleret?* Ita Paulus *ſententiarum* lib. V. tit. XXIII. *qui ſacra impia nocturnave, ut aliquem obcantarent, defigerent, fecerint, faciendave curaverint, aut cruci ſuffigantur, aut beſtiis objiciantur.* Egregius de prohibitis aliquando ſacris nocturnis & iterum admiſſis eſt locus Zoſimi *Hiſtor.* lib. III. cap. IV. Itaque van Dalen *de oracul. ethnic. Diſſ.* I. cap. VI. p. 531. *Et quia*, inquit, *legum promulgationes inſtituere decreverat* (*Valentinianus*) *exorſus ab ipſo lare, quod ajunt, nocturna ſacra prohibuit fieri: qua lege coercere volebat ea, quæ ſcelerate deſignarentur. Sed quum Prætextatus, qui pro Conſule Græciam adminiſtrabat, vir omni virtute præſtans hanc legem diceret vitam injucundam, & acerbam victu Græcis parituram, ſi futurum eſſet, ut myſteria ſanctiſſima genus humanum continent, prohiberentur; peragi ea rite, vi legis ſuæ ceſſante permiſit: ita tamen, ut omnia ſecundum*

patrias

patrias conſuetudines, quales ab initio fuiſſent, peragerentur.

(*k*) Cl. Menetreius *in Dian. Epheſ. Statua* p. 363.

I X.

Sacra, uti nocte jam provecta peragebant, ita quoque templa condiderunt obſcura & ſolem quæ fallerent. Non ſum neſcius ſacra quædam in aperto peracta (*a*) & complures victimas hoſtiaſque luce jam certa cæſas; nec diffiteor, quod templa Superis dicata lumen receperint. Delubra tamen quædam noctis faciem retuliſſe in aperto eſt. (*b*) Obſcuriſſimum fuiſſe templum Didûs (*c*) magnæ Deum matris (*d*) Deorumque aliorum antiqui annales ac Poëtæ prædicant. Sacerdotes adeo & ſacrorum miniſtros tectis oculis opertaque facie nobis ſiſtunt gentilium delubra ac ſi occulta illa ſacra & tenebris operta intueri nefas habitum. (*e*)

N O-

NOTÆ.

(*a*) De his Lactantius *divin. inſtit.* lib. II. cap. V. & Laurentius *in Var. gentil. ſacris* cap. XIV. p. 201. A.

(*b*) Apud gentiles templa erant obſcuriſſima antra, limpidiſſimi fontes & flumina, infrequentia teſqua, ſqualentes eremi & denſiſſimi luci nullum ſolem admittentes & perpetuam noctem foventes. Hos locos non tantum religioſe venerabantnr, ſed etiam Deorum inſtar adorabant. Unde etiam eremis, teſquis atque lucis nomen ipſa idololatria indidit. Namque teſqua loca ſunt alicui Deo dicata, ut patet ex Varrone, Cicerone & Feſto, ſive loca augurio ſacrata, aſpera & difficilia apud Laurentium *in Variis gentil. ſacris* cap. IV. p. 161. D. Strabo *Geograph.* lib. X. teſqua ſic definit: ἔςιν ἀόικετα τὰ χωρία τῆς τῶν δαιμόνων τέτων τιμῆς. Eremos, quod attinet, apud Pindarum *Nemeor.* Od. X. ἔρημοι loca ſunt, ubi Deorum quædam ſtatuæ. Recte autem Æſchylus in *Prometheo vincto* dixit ἄβατα & Dionyſius Areopagita *de nomin. divin. cap. ult.* ἀνέμβατα. Nicander in *Theriacis* Pſycteria etiam vocitari tradit nemoroſa & umbroſa loca. Claſenius *in Theolog. gentil.* Part. III. cap. II. §. 2. Stuckius *de ſacris & ſacrific. gentil.* p. 60. ſqq.

(*c*) Ita canit Silius *Punicor.* lib. I. vſ. 81. ſqq.

Urbe

Urbe fuit media ſacrum genetricis Eliſſæ
Manibus, & patria Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circum & piceæ ſqualentibus umbris
Abdiderant, cœlique arcebant lumine, templum.
Hoc ſeſe, ut perhibent, curis mortalibus olim
Exuerat Regina loco. ſtant marmore mœſto
Effigies, Beluſque parens, omniſque nepotum
A Belo ſeries: ſtat gloria gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.
Ipſa ſedet tandem æternum conjuncta Sichæo:
Ante pedes enſis Phrygius jacet. ordine centum
Stant aræ cœlique Deis, Ereboqne potenti.
Hic crine effuſo atque Hennea numina Divæ,
Atque Acheronta vocat Stygia cum veſte ſacerdos.
Immugit tellus, rumpitque horrenda per umbras
Sibila; inaccenſi flagrant altaribus ignes.
Tum magico volitant cantu per inania manes
Exciti, vultuſque in marmore ſudat Eliſſæ.

Vides Heroum quoque imagines avitas obſcuris in locis cultas, ac ſi ipſæ tenebræ non minorem quam clariſſimæ antiquitatis ſplendor

dor tantis Viris, quos ſumma cum religione colebant, lucem affunderent.

(*d*) Ovidius *Metamorph.* lib. x. vſ. 686. ſqq.

Templa Deûm Matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto nemoroſis abdita ſylvis
Tranſibant; & iter longum requieſcere ſuaſit.
Illic concubitus intempeſtiva cupido
Occupat Hippomenen, à numine concita noſtro.
Luminis exigui fuerat prope templa receſſus,
Speluncæ ſimilis nativo pumice tectus;
Relligione ſacer priſca; quo multa ſacerdos
Lignea contulerat Veterum Simulacra Deorum.

(*e*) Magnoque id ſuo malo feciſſe putabant eos, qui aperta Deos, aut ſacra, aut myſteria facie intuerentur. Sed monui alibi. Addo nunc locum Callimachi apud Barthium *Adverſarior.* lib. XLVIII, cap. I.

X.

Luci gentilium obſcuri, quæ dixi hactenus magis magiſque comprobant. Nomen luci denotat nemus arboribus denſum. (*a*)

Erant

Erant nemuſcula opaca conſita ſecus altari, ſive ut antiquorum genio magis loquar conlucata, (*b*) inde dicta, quod perpetuis Sacrificiorum ignibus lucerent. Impenſius nullum templum, quam amoeniſſima illa nemuſcula Sacrificiis deſtinata Veteres coluerunt. Perſis, Phœnicibus atque Celtis, (*) quibus templa condere non erat integrum, luci erant vice templorum & in illis poſitæ aræ vel in excelſis montibus, vel ſoli & lunæ magis propinquis. Lucos antiquiſſimi Germanorum, (*c*) lucos illi, qui magnum Jovis Ammonis oraculum venerabantur, (*d*) lucos Græci quoque coluerunt. (*e*) Olympiam, in qua decantatos illos ludos Olympiacos celebrarunt, lucum fuiſſe oleaſtro veſtitum juxta flumen Alpheum, ubi templum Jovi Olympio dicatum lego. (*f*) Sacrilegium exiſtimarunt, a Cleomene lucum aliquan-

 do

do accenſum. (*g*) Romæ quatuordecim fuiſſe lucos commemorant, (*h*) ac tanti factos a Valeſio Valeſio Nobili inter Sabinos Viro, ut ante domum lucum ſummo cum ſtudio arboribus maxime proceris coleret, (*i*) quid quod ſylvarum omnium præſidem Dianam jactaverint, (*k*) ac ſub Deorum tutela florere nemora certum habuerint. (*l*) Sed de hoc multis alii, unde actum agere deque charta in papyrum ſcribere nolo.

NOTÆ.

(*a*) Virgilius *Æneid.* lib. VI. vſ. 673.

> *Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.*

egregia ſunt, quæ de lucis congeſſit Claſenius *in Theolog. gentil.* Part. III. cap. II. §. III. V. & VI.

(*b*) Etenim lucum conlocare Diis, veteres lucum conlucare Diis dixerunt. Tomaſinus *de Donar. Veter.* cap. IV. conf. Gutherius *de Jur. Manium* lib. I. cap. III.

(*) De Celtis, ita Lucanus Pharſal. lib. III.

Lu-

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis
Et gelidas alte ſubmotis ſolibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes nemorumque potentes
Silvani, Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deum ſtructæ ſacris feralibus aræ.

de Perſis res nota; & Xerxes templis inſenſus cum Græciam ingrederetur omnia Deorum templa vaſtavit, ruinis & ignibus delevit. Vide Curtium lib. III. cap. x. n. 9. Ciceronem *de Legibus* lib. II. cap. x. Solinnm *in Polyhiſtore* cap. LIII. Valerium Maximum lib. II. cap. x.

(*c*) Tacitus *de moribus Germanor.* p. 635. Hoc ſignis ornare ſolebant Germani. Lipſius *ad Taciti Hiſtor.* lib. IV. p. m. 521. *verb. depromptæ ſylvis.*

(*d*) Curtius lib. IV. cap. VII. n. 16. *Tandem ad ſedem conſecratam Deo ventum eſt. Incredibile dictu inter vaſtas ſolitudines ſita, undique ambientibus ramis, vix in denſam umbram cadente ſole contecta eſt.*

(*e*) Suſpicatur Stuckius *de ſacris gentil.* fol. 63. & Voſſius *in Lexico Etymolog.* p. 39. Græcorum *βωμὸς* deſcendere ab illa Sacrarum Litterarum voce במות *excelſa*, quo nomine montes, ac colles tum quoque altaria & ſacella in iis exſtrui a gentilibus ſolita notantur.

 (*f*) Mo-

(*f*) Modius *de ludis & ſpectaculis* lib. II. cap. XXIX.

(*g*) Herodotus lib. VI. p. 409. & 410. Vindingii *Hellen.* p. m. 36. E.

(*h*) P. Victor apud Græviun *Antiquit. Romanar.* Tom. III. p. 52. C. Onuphrius autem Panvinius *in deſcript. urbis Rom.* p. 315. E. illos ad XXXII. fuiſſe ſcribit.

(*i*) Zoſimus *Hiſtor.* lib. II. cap. I.

(*k*) Menetreius *in Dianæ Egheſ. ſtatua* p. 372. C.

(*l*) Sponius *de ignotor. Deor. aris* ar. VII. & XLIV. Gronovius *Antiquit.* Tom. VII. p. 264. F.

XI.

Quid ſi inde ſacris addita lumina dicerem, quod provecta nocte, aut obſcuris in templis, antris, luciſque omnis fere oculorum uſus interciperetur? ipſa lumina neſcio qua rerum divinarum voluptate mentes afficiebant. Tranquilla omnia in templis & lumine horror quidam & veneratio inſinuans ſe in preciſtarum mentes. Hæc Eleuſinia, Panathenæa,

thenæa, Promethea, Februalia, hæc reliqua gentilium ſacra, de quibus dicere nunc exordiar, ſatis ſatiſque demonſtrant.

Caput Quintum.

De Eleuſiniis facibus Accenſis in Græcia celebratis.

§. I.

PRimo loco veniunt Eleuſinia cæteris non ſolum diebus feſtis celebriora verum etiam antiquiora. (*a*) Equidem librum de Eleuſiniis condidit Meurſius, ſed multa quoque ex aliis hauſi, pauciſſima ex Meurſio actum agere nolens. Eleuſinia Cereris numini dicata myſteria dicta fuerunt. Omnium quippe ſcientià major eorum cognitio, ac initiatis ſolis relicta: ergo ne quidem domi habere illa licuit, ne ſecreta in vul-

gus efferrentur, aut ne celebritati eorum detraheret ſacrorum frequentia. (*b*) Celebrabantur a matronis, quæ jejuniis, mœrore ac triſtiſſima rerum quondam Ditem Patrem inter ac Cererem geſtarum memoria ſacrum auſpicari videbantur. (*c*) Nec is tantum mos in Eleuſiniis obtinuit, verum & nocturna Iſidis ſacra (*d*) & Myſia noctis ſilentio peracta (*e*) a mulieribus tantum celebrata. Nec ſine cauſa Eleuſiniorum die deceſſiſſe Demoſthenes videbatur, cujus obitum univerſæ Græciæ & inprimis Athenienſium libertati, quam ore, voce ac ingenio defenderat, luctuoſum fuiſſe cognitum eſt. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Autor *de l'explicat. hiſtor. de la Fable de Ceres.* p. 78. ubi bene monet, quod gloria Eleuſiniorum, quæ ubique inclaruit, his nomen Myſteriis partum fuerit: quamvis enim myſteriorum nomen aliis quoque gentilium

ſacris commune, uti illis Olympiadum myſteriis apud Grævium *Antiquit.* Tom. VIII. p. 314. E. & p. 377. F. Myſteria tamen κατ' ἐξοχὴν ſacra Eleuſinia dicta puto. Ariſtoteles *Rhetor.* lib. II. cap. XXIV. Summus iis honor, ac tanto major celebritas, quanto Heroibus Dii ipſi præſtant, ubi Pauſanias in *Phocicis.* p. m. 670. ſcribit. Quid quod non a Cerere ſacra ipſa, ſed a ſacris Ceres traxerit nomen, ita Cl. Menetreius *in Dianæ Epheſ. ſtatua.* apud Gronovium *Antiquit.* Tom. VII. p. 362. B. Omnis ſtrepitus in iis ſiluit forenſis, ne aliqua litigantium querela Eleuſiniorum aut totius Græciæ obſtreperit pietati, ac ne quidem libellum ſupplicem offerre licuit. (τιθέναι ἱκετηρίαν) Faſoldus *de Feſtis Græcor. Decad.* II. Feſt. I. n. XXXVII.

(*b*) Quod exemplo Alcibiadis patet, qui divulgare Sacra Cereris & Proſerpinæ auſus iratæ multitudinis vim expertus eſt. Plutarchus *in Alcibiade* p. m. 200. E. Domi illa habere ſacrilegium & ipſa proditione acerbius putabant. Spanhemius *de Veſta & Prytanib. Græcor.* p. 668. C. in Grævii *Antiquit.* Tom. V. *conf. hoc cap.* V. §. X. *not.* (*a*)

(*c*) Jam decimo ſexto menſis Panepſionis die fœminæ jejunare ſolebant, totamque diem triſtiſſimam in templo Cereris ducere. Plutarchus in *Demoſthene* p. m. 860. B. Jejunium ubi haberent in caſto Cereris, ita ajunt, mulieres humi ſedebant, quod monet Laurentius *de Prand. & cœna veter.* cap.

 XXII.

XXII. Adde quæ habet Meurſius *de Eleuſiniis* cap. X. p. 135. B. de fœminis etiam memorabile, quod illæ in ſamo excluſis Viris Cereri τῇ κουροτρόφῳ ſacra fecerint. Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Decad. I. Feſt. II. n. 27.

(*d*) Mulieres, quæ Iſidi ſacra faciebant non tantum ſe lavabant, ſed noctes etiam decem alio, quam mariti lecto quieſcebant. Uti Propertius lib. II. *Eleg.* XXIII. accurate expoſuit. Etiam hoc dixere *in caſto vel pervigilio ſecubare.* Si mulier aliter egiſſet ſacris arcebatur, donec expiata fuiſſet more gentilium; ac tum demum ſacra nocturna in templo Iſidis peragebant, adque omnes aras rem divinam rite faciebant. Viris interdictum, ne quis eo accederet, turpique, uti opinor, adſpectu fœminam fœdaret. Sæpius uſu venerat, ut vi libidinis abrepti muliebri habitu induerentur, inque templum irruentes omnibus nefandis ſtupris mulieres polluerent, unde Ovidius *de arte amandi* lib. I.

Ne fuge Niliacæ Memphitica ſacra juvencæ,
Multos illa facit, quod fuit ipſa Jovi.

Conf. Martialis lib. II. *epigr.* XLVIII.

(*e*) In Myſiis apud Argivos in Cereris honorem agitatis omnes viri & maſculi canes templo arcebantur, mulieres relictæ intus, quæ noctu ſacrum Deo faciebant. Vid. Gronovium *Antiq.* Tom. VII. p. 893. E. Integrum

tegrum locum habet Pauſanias *in Achaicis in fin.* Cybele Θεὸς γυναικεία dicebatur, ideo quod mulieribus ſolis fas eſſet ejus adire ſacra, quæ in operto fiebant. Svvertius *ad Ortelii Deor. Dearumq. capita.* lib. I. fig. XVI. Ne autem ſolas mulieres hoc nomine beatas putes, etiam fuere ſacra, quibus ut monet Cellarius *ad Silium.* lib. III. vſ. 22. ſolis intereſſe viris licuit. Macrobius *Saturnal.* lib. I. cap. XII. Mulieribus in Italia, ait, ſacris Herculis intereſſe non licere, ibidemque cauſam addit. Deinde, quod ſi mulier ad certamina Olympica accederet leto malo perire debuit, uti Pauſanias docet, cujus verba adſcripſit Van Dalen *ſua diſſ. de Argonothet. & Panegyriarch.* cap. II. p. m. 555. Sic in Epheſiis Dianæ feſto celeberrimo viris tantum adeſſe licuit. Pauſanias in *Meſſeniacis:* Ἐφεσίαν δὲ Ἀρτέμιν πόλεις ὠνομάζουσιν αἵ πᾶσαι, καὶ ἄνδρες ἰδίᾳ μάλιστα Θεῶν ἄγουσιν ἐν τιμῇ. *Epheſiam vero Dianam nominant civitates omnes & viri privatim maxime ex Diis habent in honore.* Virgines admiſſæ, at mulier ingenua nulla intrare templum potuit. Si intraret, capitis pœnam ſubiit. Singulare eſt in his ſacris, quod ſervæ etiam ad Dianam accedere potuerint, ſi forſan in animo eſſet Dominum accuſare. Diſerte annotavit Achilles Statius lib. VII. Τὸ δὲ παλαιὸν ἄβατος ἦν γυναιξὶν ἐλευθέραις οὗτος ὁ νεὼς. ἀνδράσι δ᾽ ἐπετέτραπτο, καὶ

παρθένοις. εἰ δέ τίς εἴσω παρῆλθεν γυνὴ θάνατος ἦν ἡ δίκη. εἰ μὴ δούλη τις συνεγκαλοῦσα τῷ δεσπότῃ. *Antiquitus vero inacceſſa erat illa ædes mulieribus ingenuis: ſed viris permiſſa erat & puellis. Quod ſi mulier nupta ingrederetur, mors erat pœna; niſi ſi eſſet ſerva ſimul accuſatura dominum.*

I I.

Orgia ſæpius dicta Eleuſinia invenies. At quænam illa Orgia? Orgia vocabulum commune fuiſſe omnibus Græcorum ſacris invenio. (*a*) Sed de origine ipſius vocis res non eſt ſatis perſpicua. Deſcendere a furore ſive ἀπὸ τῆς ὀργῆς viſum quibuſdam. (*b*) Aliis derivatio ἀπὸ τῶν ὀρῶν arridet, aut Orgiis Bacchi ſacris. (*c*) Quicquid ſit Dionyſus ſive Bacchus hæc ſacra primum edocuiſſe mortales (*d*) ac inſtituiſſe Methapus genere Athenienſis fertur. (*e*) Singularia nonnulla de iis tradunt antiqui, veluti quod ab univerſis Græcis cele-

celebrati, (*f*) Orgiaque ciſtis circumtulerint virgines, (*g*) ipſæ fœminæ dictæ Orgiaſtæ, (*h*) virgines κανηφόροι, ciſtiſque aliquando fructuum primitias Deo ſacratas occultarint. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Hæc eleganter oſtendit Servius *ad Æneid.* lib. 11. vſ. 304. *ſane ſciendum*, ait, *apud Græcos Orgia dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos cerimoniæ. conf.* Gronovius *in marmor. baſ. Coloſſi Tiber. Cæſar. erect.* cap. XI.

(*b*) Orgianum dictum exiſtimant, quaſi oram Jani, corrupto vocabulo; ut qui in hac ora, ubi primum in Italiam venit, ſedem habuerit ob aërem ſaluberrimum, ſolem feraciſſimum, colles amœniſſimos, is Janus primum docuit Italos far & vinum ad ſacrificium; quare non immerito Janus in ſacrificii principio invocatus in fine vero Veſta. Janum ergo, quem Noachi filium Japhet credunt huic amœniſſimæ loræ, exhauſtis in mari Jonio & Adriatico laboribus allapſus vineas conſeri colique docuit. Inde nata vox Orgiani ἀπὸ τῆς ὀργῆς ſive furore, quo corripiuntur, qui generoſis illis vinis ſe ingurgitant, & amentes furentem Cererem imitantur.

(*c*) Ἀπὸ τῶν ὀρῶν h. e. a montibus dictum putat Laurentius *in Var. gentil. ſacr.* cap. XXII. In Orgianum quippe vicini montes, Euganei, ſeu colles potius dicendi, tanquam annulus in gemmam deſinunt, ubi Ceres, Pomona, Liber, Flora contendunt. ibique Orgia celebrant. Sed unde id ſacrificii Orgiorum ſc. Bacchi genus? Rhodiginus *Antiquar. Lection.* lib. XVI. *ſunt*, ait, *qui indigenam memorent virum Caſtalium, cujus fuerit filia nomine Thya, quæ Dionyſio conſecrata primum Deo celebravit Orgia, & Bacchico efflatus numine nuncupationem fecit, ut ab ea vocentur Thyades.* Orgia Bacchi fuiſſe ſacra, ipſique Orgiophantas conſtitutos, oſtendit Caſtellanus apud Gronovium *in Antiquit.* Tom. VII. p. 640. E. Svvertius *ad Ortelii Deorum Dearumque capit.* lib. II. fig. XXXI. Nicolaus *de ritu Bachanalior.* cap. XV. init. & inſcriptio apud Gruterum *in Inſcript.* p. 67. quæ Puteolis in Campania reperta.

LIBERO PATRI
SACRUM
T. T. FLAVIJ. ECLE
CTIANUS ET OLIM
PIANUS FIL. EJUS
SACERDOTES
ORGIOPHANTÆ.

(*d*) Ca-

(*d*) Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* p. 621. E

(*e*) Hic apud Meurſium *in Græcia feriat.* lib. IV. voc. Καβείρια. In Gronovii *Antiquit. Græcar.* Tom. VII. p. 804. D. Dicitur τελεστῆς καὶ ὀργίων καὶ παντοίων συνθέτης.

(*f*) Vid. Nicolaum *de Ritu Bacchanal.* cap. VII. qui prope fontem Meliaſtarum ab indigenis celebrata ſcribit.

(*g*) Caſtellanus. d. l. p. 621. Dracones quoque ciſtis incluſi autore Eggelingio *in myſter. Cereris & Bacchi* p. 70. (*h*)

(*h*) Inſcriptio eſt apud Sponium *Itinerar.* Tom. II. p. 393.

ΚΤΗΣΙΚΛΕΙΑ. ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΥ
ΑΧΑΡΝΕΩΣ ΟΡΓΙΑΣΤΗΣ ΤΟΝ
ΕΑΥΤΗΣ ΑΝΔΡΑ ΣΟΦΟΚLΗΝ
ΞΕΝΟΚΛΕΟΥΣ ΑΧΑΡΝΕΑ ΔΑ
ΔΟΥΧΗΣΤΑΝΤΑ ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ
ΚΟΡΗ ΔΙΣ ΑΝΕΔΗΚΕΝ.

(*i*) Vid. Ariſtophanem *in Acharn.* vſ. 239. 240. Catullum *in nupt. Peliæ & Thetid.* vſ. 257. 258. & Valerium Flaccum *Argonaut.* lib. II. vſ. 267.

III.

Origo Eleuſiniorum, utut ſatis inclyta dubio non caret. Erech-

theum, qui Græcorum monumentis, & rerum geſtarum nomine inclaruit, autorem ferunt nonnulli. Hunc veniſſe ex Ægypto Athenas, adeptoque urbis imperio oſtentaviſſe initia Cereris Eleuſiniis, Ægyptis jam dum nota, myſteria inſtituiſſe ſacraque transtuiſſe Athenas. (*a*) Alii autores inter Eleuſiniorum ipſam Cererem nominant, quæ Athenas inviſens ſummam annonæ caritatem ſublevarit, frumentumque æqualiter inter omnes diviſerit. Athenienſes tanti memores beneficii Eleuſinia in honorem Cereris inſtituiſſe. (*b*) Sunt etiam, qui natales eorum tribuant Emolpo, cujus deinde poſteri ἐυμολπίδαι Athenis dicti, (*c*) aut Triptolemo, qui ea ad oſtium Cephiſſi fluminis non ita procul ab urbe inſtituerit. (*d*)

N O-

NOTÆ.

(*a*) Pluribus hæc docet Diodorus Siculus *Bibliothec.* lib. I. cap. II. Hic eſt ille Erechtheus, de quo Meurſius *de Regib. Athen.* lib. II. cap. VII. ſcribit, quod Terrigenam prædicaverint ejuſque nomini fanum in celeberrima Athenarum arce ſacrum eſſe voluerint. Fuit Pandionis filius, qui nimio mœrore vitam finivit quadrageſimo imperii anno inſignem fidei ac amoris, quo patriam coluit, famam relinquens. Ovidius *Metamorph.* lib. VI. vſ. 675. Meurſius d. lib. II. cap. VI. Sigonius *de regno Athenienſ.* in Gronovii *Antiquit.* Tom. V. p. 1633. E. Multi eum non Pandionis filium, non Athenienſem, ſed Ægyptium dicunt, qui demum ad regnum pervenerit donatis civitati frugibus. Verba Diodori habet Meurſius *cit.* lib. II. cap. VII. Fuiſſe unus e decem illis Eponymis dicitur, a quibus Tribuum Athenienſium nomina poſteriori ævo fluxerunt. Sigonius *de Republ. Athen.* lib. II. cap. II. Quod ſi de illius rebus geſtis multa prædicare vellem, charta deficeret, illud moneo, quod ab illo Athenienſes Erechthidæ fuerint dicti, nomenque Tribus Erechtia acceperit. Vid. Perionius *de Græc. & Roman. magiſtrat.* lib. II. p. 2789. & Meurſius *de Populis Attic.* p. 715. A.

(*b*) Huc facit præclarus Ariſtidis locus allatus

latus etiam a Meurſio *in Eleuſiniis* cap. 11. & Iſocratis, quem Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. 11. Feſt. 1. n. x. adduxit. Conf. Faber *in Argoniſtic.* lib. 111. cap. xxxix. p. m. 2241. Equidem hoc inſtitutum Cereri tribuit Diodorus Siculus lib. vi. cap. 11. in hoc tamen a Meurſio alienus eſt, ut cultioris vitæ diſciplina eruditos a Cerere Athenienſes ſcribat, hos omnis elegantiæ magiſtros hunc ſempiternum voluiſſe Cereris honorem.

(*c*) Vid. Heſychium voc. Ἐυμολπίδαι.

(*d*) Lazius *Græc. Antiq.* lib. 11. cap. 11.

I V.

Duplicia fuiſſe Eleuſinia conſtat, majora & minora. Illa in ipſius Cereris honorem inſtituta, hæc Proſerpinæ in primis ſacra fuerunt. (*a*) Minora ἐυμετάδοτα erant, majora autem nemini niſi τοῖς ἐγχωχίοις id eſt *indigenis* relicta; in iiſdem quamvis iidem ritus ac ceremoniæ obtinuerunt. (*b*) Majora Eleuſine, minora Agris habita. (*c*) Majora Boedromione menſe, minora Antheſterione acta. (*d*)

N O-

(*a*) Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Plutum:* ἦσαν δὲ τὰ μὲν μεγάλα (μυστήρια) τῆς Δήμητρος· τὰ δὲ μικρὰ Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός. *Erant autem magna myſteria Cereris, minora autem Proſerpinæ filiæ ejus.*

(*b*) Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. II. ſect. I. n. 4. Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p. 656. C. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. I. cap. VII. n. 25. De minoribus agit Scholiaſtes in Homeri *Iliad.* Θ.

(*c*) De majoribus nomen ipſum loquitur, de minoribus Meurſius *in Eleuſiniis.* cap. VI.

(*d*) Menſis βοηδρομιὼν nobis eſt Auguſtus, ſic dictus a feſto, quod βοηδρομία antiquis audit celebratumque in memoriam diei fuit, quo Xuthus Athenienſibus, qui ab Eumolpo Neptuni filio oppugnabantur, opem tulit, eo quidem tempore, quo rerum Athenis Erechteus potitus. Faſoldus *in Hierolog. Græc* Dec. I. Feſt. III. n. I. βοηδρομεῖν quippe Cares dicunt βοηθεῖν *opem ferre.* Hæc Suidas. Ἀνθεστηριὼν autem November communiter dici ſolet. Suidæ hic eſt VIII. menſis Baccho ſacer, ſic dictus, quod pleraque eorum, quæ ex terra naſcuntur, tunc floreant. Ἄνθος enim Græcis flos eſt. Pfeifferus *Antiquit. Græcar.* lib. I. cap. XLI. vid. Omnino Meurſium *in Eleuſiniis* cap. XX. Caſtellanum *de Feſtis Græc.* p. 656. E. F. Faſoldum *c. l.* Dec. IV. ſect. II. n. 2. Philoſtra-

ſtratus interim & Macrobius Aprilem putant Antheſterionem, alii quoque Majum, alii Auguſtum, ſed de Novembre res magis eſt expedita.

V.

In majoribus Eleuſiniorum myſteriis *initiabantur*, in minoribus *luſtrabantur*. (*a*) Minora quaſi prævia magnorum *purgatio & luſtratio*, quo inductus Clemens Alexandrinus tres diverſas initiationes fuiſſe ſcribit, ſed fallitur, quoniam parva initia vice *purgationis* acciperentur. (*b*) Duplex ergo μύησις altera majoribus altera minoribus fiebat. Qui majoribus initiati, dicti Ἐπόπται, qui ad minora admiſſi, Μύσαι. (*c*) Initiatio in minoribus facta in anguſto quodam ſacello, majoribus vero, quæ Eleuſine facta, in ſacello ampliſſimo temploque Eleuſinio ingentis multitudinis capaci. (*d*) Et hic locus antiquis

Μυσ-

Μυςοδόκος δόμος dictus. (*e*) Fieri noctu ſolita lego, ac tum varia initiandis objecta ſpectacula. (*f*) Multa audire ſibi videbantur. Horrore omnia & murmura plena. (*g*) Modo tenebræ ſubortæ, modo lux clarior exorta fulgere, plurima apparere, varia oſtendi. Adyta obſcura qui adiret, horrore angebat animum, ſibique nutare videbatur. Dubia ipſi mens, nec ſatis certum conſilium, num veſtigiis inſiſteret, num premeret viam, aut adytum introiret?

N O T Æ.

(*a*) De majoribus ita Ariſtophanes *in Pluto* Act. IV. Sc. II. vſ. 23.

> Μὼν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;
>
> *Num igitur initiatus es in ipſa (veſte) magnis.*

De minoribus loquitur Polyænus *Stratag.* lib. V. cap. XVII. §. I. Ταῦτα μὲν δὴ συνέθεντα

τὸ παρὰ τὸν Ἰλισσὸν, ἐξ οὗ τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι. *Hæc quidem tranſegerunt ad Iliſſum, ubi luſtrationem peragunt minoribus myſteriis.*

(*b*) Minora προτέλεια quaſi & præparatio ad majora. vid. Caſtellanum *de Feſt. Græc.* p. 657. C. D. Jonſtonum *de Feſt Græc.* Part. I. cap. VII. n. XXV. Meurſium *in Eleuſiniis* cap. VIII. p. 130. E.

(*c*) Hoc diſcrimen notavit Suidas verb. Ἐπόπτης διαφέρει μύστης καὶ ἐπόπτης, inquit. Epopti ſive Ephori erant inſpectatores, h. e. quibus anno, poſtquam initiati primum fuerant, inſpicere occultos ſacrorum ritus & cærimonias concedebatur. Neque enim à parvis initiis aditus illico patebant ad majora, ſed annus experimenti cauſa interponendus erat. Quamobrem in Demetrio notata exempli raritas, qui ſine ulla temporis intercapedine majora minoraque percipere voluerit. De Myſtis vide Gronovium *in Antiquit.* Tom. V. p. 1519. F. & Tom. VII. p. 545. E. & pag. 657. D.

(*d*) Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* p. 635. B.

(*e*) Ariſtophanes *in Nubibus Act.* I. *Scen.* IV. vſ. 26.

(*f*) Ita Cicero *de Legibus* lib. II. cap. XIV. *Nil agere antiqua illa myſteria credit, ſi quidem ſacra nocturna tollas.* Ridet quoque gentiles Evagrius *Hiſtor. Eccleſiaſt.* lib. I. cap. IX.

eorum-

eorumque myſteria Ὅτι γε ἥλιος ἐχ' ὁρᾷ, ἀλλὰ τῷ σκότῳ συνοικεῖν κατεκρίθησαν.

(g) Ille Ethnicis mos, ut incondito murmure atque clamore Deos colerent. Ita ſuum Bacchum ἀπὸ τοῦ βακχεῖν dixere, quod eſt *ululare.* Nicolaus *de Ritu Antiq. Bacchanal.* cap. I. & cap. XVII. p. 211. B. Tibiis quando in honorem magnæ Deum Matris canerent, murmure & ululatu omnia plena & ipſæ ad lugubris vocis incrementum tibiæ confectæ. Meurſius *de Tibiis* cap. IV.

V I.

Initiandi, cum propius ad templum accederent, tum reſerabat ὁ Φεοφήτης veſtibulum templi. Deinde ſtatuam induens tunicis abſterſoque ornatæ omni ſqualore initiato illam coruſcantem jam & divinum quoddam fulgur ſpargentem oſtendebat. Nubes, nebulæ, quibus ante omnia tenebantur, diſcuſſæ. (a) Ille, qui initiabat, dicebatur Hierophanta. ὁ Ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις (τὰ μυστήρια) λέγει. (b) Inſignis Hierophantæ

tæ cultus, vox peculiaris, veſtis nitida, coma, ſtrophium. Primus Hierophantæ munus obtinuiſſe fertur Eumolpus, nec deinde Eumolpidis fraudi fuit majoribus hanc dignitatem partam. Nec illi ſolum Hierophantæ dicti, qui Eleuſinia ſacra adminiſtrabant, verum & alii, ἀρχιερεῖς nimirum Pontifices & Flamines. (*c*) Si quoque a viris diſceſſeris, fœminas nominæ Hierophantarum dictas invenies. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) De Prophetis notandum, quod οἱ ἱερεῖς nulli alii, quam Prophetæ fuerint, prout etiam in ſacerdotio Antinoi eoſdem nunc ἱερεῖς nunc προφήτας dici monuit Caſaubonus apud Gronovium *ad Stephan. Byzantin. de Dodone* p. m. 287. B. Cæterum a more initiandi in Eleuſiniis longe differt, qui in Cabiriis uſitatur, in quibus non murmure & inſanis motibus myſtæ ſed lætis choreis exſultantes initiandumque in throno collocantes myſteriis ſuis imbuebant, teſte Meurſio in *Græc. Feriat.* lib. IV. p 806. A. B.

(*b*) Ita

(*b*) Ita Diogenes Laertius lib. VII. cap. CLXXXVI. Zenobius Acciolanus *interpr. Theodoret. de Fide contr. Græc. Orat.* I. pag. 19. Vide pluribus Heraldum *Animadverſ. in Arnob.* p. 215. Meurſium *de popul. Attic. voc.* Ἐλεύσις p. 712. Sigonium *de Republ. Athenienſ.* lib. II. cap. IV. Egregie quoque illam celebrem de Hierophantæ munere hiſtoriam illuſtrant, quæ habet Philoſtratus *in Vita Apollonii* lib. IV. cap. VI.

(*c*) Plura, quam Eleuſinia, myſteria ſuos hierophantas habuiſſe oſtendit Gruterus *in Volum. inſcript.* p. 309. n. II. III. & Van Dalen *in Diſſ. de Origin. ſacr. Taurobol.* cap. VII. p. 79. Hos inter eminent Ἱερεῖς, *Pontifices*, *Flamines*; de Pontificibus Plutarchus in *Numa* ὁ δὲ μέγιστος τῶν Ποντιφίκων οἷον ἐξεγητοῦ καὶ προφήτου, μᾶλλον δὲ Ἱεροφάντου τάξιν ἔχεν. *Pontificum Maximus vero eſt inſtar interpretis ac vatis, ſeu potius Hiorophantæ munus ſuſtinet.* Flamines tamen nullla, myſteria, ſed ſola Auguſti ſacerdotia adminiſtrabant. Van Dalen *de Antiquit. diſſ.* VI. p. m. 498.

(*d*) Quorſum procul dubio ſpectat inſcriptio ſtatuæ, quæ Thyatiris Ulpiæ Marcellæ, ſacerdoti Dianæ dicata fuit, apud Sponium *in Itin. Athen.* p. 52.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΟΥΛΠΙΑΝ
ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ ΤΗΝ ΙΕΡΕ
ΙΑΝ ΤΗΣ ΑRΤΕΜΙΔΟΣ
ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΠΙΟΥ ΔΑ
ΜΑ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ ΚΑΙ ΚΑ
ΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ ΟΥΓΑ
ΤERΑ ΕΠΙΤΕΔΕΣΑΣΑΝΤΑ
ΤΗΣ ΔΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΑ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥΣΙΑΣ ΛΑΜ
ΠΡΩΣ ΑΝΣΤΗΣΑΝΤΩΝ.
ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΔΡΟΝΕΙ
ΚΑΙ ΤΟΥ ΑΝΔΡΩΝΙΚΟΥ
ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΗΣ ΤΗΣ
ΜΗΝΟΓΕΝΟΥΣ ΤΩΝ ΘΡΕ
ΨΑΝΤΩΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ.

Conf. Suidas voc. Ἱεροφάντης. Pollux *Onom.* lib. I. cap XXXI. Tertullianus *Adverſ. Marcionem* lib. I. cap. XIII. Heraldus *Animadverſ. in Arnobium.* p.m. 214.

VII.

Præter Hierophantum Daduchum quoque & Præconem initiis Eleuſiniis adfuiſſe lego. Coma &

& Strophium, quo inſignis erat Hierophanta, etiam Daducho in ornamentis. (*a*) Munus Daduchi perpetuum & hæteditarium, nec talis quis eſſe niſi morte deſinebat. (*b*) Unicum fuiſſe Daduchum novimus. (*c*) Hujus ergo munus facem portare in Eleuſiniis, quod memoriæ Cereris datum, quæ filiam accenſis in Ætnæ vertice facibus quæſierat. (*d*) De Præcone, cujus nomen celebre eſt Eleuſinios inter miniſtros adi *Julii Pollucis Onom.* lib VIII. cap. IX. Sect. XXII. Demum nomen quoque notum βασιλεὺς, qui ſacris præerat, cui additi quatuor Ἐπιμεληταὶ. (*e*) Atque Epimelet harum nomine veniunt, I. Ἱεροφάντης ſive Μυςαγωγὸς, II. Δαδȣ̃χος, III. ὁ ἐπὶ βωμῷ *id eſt miniſter ad aram*, IV. Ἱεροκήρυξις *ſacer præco*, quorum in his ſacris obeundis officium expoſuit *Faſoldus* de *Feſtis Græcor. Decad.* II. Feſt. I. n. XXII.

XXIII. XXIV. XXVII. *Suetonius* in Nerone cap. IV. & *Caſtellanus* apud *Gronovium in Antiquit.* Tom. VII. p. 659. A. B. C. D. E. aliique. Sed ſuperſunt, de quorum officio ac dignitate nullo modo conſtat. (*f*)

N O T Æ.

(*a*) Plutarchus in *Ariſtide* ſcribit: Ὦν ἦν καὶ καλλίας ὁ δαδοῦχος. Τούτῳ γάρ τις, ὡς ἔοικε, τῶν βαρβάρων προτέπεσεν, οἰηθεὶς βασιλέα, διὰ τὴν κόμην, καὶ τὸ ςρόφιον, εἶναι. Quid ſi Daduchus eſſet creandus, probatæ vitæ Virum eſſe oportebat, quod his verbis: Νόμος, τὸν μέλλοντα δαδουχεῖν δοκιμάζεσθαι exprimit *Scholiaſtes Aphthonii* apud Meurſium *in Themide Attica* lib. II. cap. XX. Fuiſſe e tribu Oa, quæ avulſa a Pandionida fuit, lego apud Meurſium *de popul. Attic.* p. 712. E. Aut qui ad hunc Meurſii locum in Tomo IV. Gronovii notas addidit. Eleganter Daduchi nomine laudes Herodoti Hiſtorici exprimit Ubbo Emmius *Rer. Græcar.* Tom. I lib. VI. p. 139. F. Quem *Hiſtoricorum* δαδοῦχον appellavit.

(*b*) Narrat in Atticis Pauſanias. Τούτους δὲ ἐς τὸν τέταρτον πρόγονον Λέοντα, δαδούχους πάν-

πάντας ὑπῆρξε γενέσθαι παρὰ τὸν βίον ἑαυτῆς πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν Σοφοκλέα εἰδ' δαδχοῦντα, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν ἄνδρα Θεμιστοκλέα, τελευτήσαντος δὲ τούτȣ, Θεόφραστον τὸν παῖδα.

(*e*) Quamvis ex illa apud Sponium *Itiner.* Tom. II. p. 409. inſcriptione, plures fuiſſe poſſet videri.

ΑΡΞΑΝΤΟΣ ΤΗΝ ΕΠΩ - - - - - -
ΤΙΒ. ΚΛ. Σ'ΣΠΙΔΟΣ ΔΑΔΟΥΧΟΥ
ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΙΣΙΛΛΟΥ ΔΑΔΟΥΧΩΥ
ΣΥΝΚΛΗΤΙΚΩΝ ΑΝΕΘ - - - - - -
ΕΝΝΕΑ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΟ - - - - - - -
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΔΙΠΛΩ - - - - - - - - - -
ΛΟΓ ΣΤΗΝ ΚΑΤΑ ΠΕ - - - - - - -
ΕΠ:ΔΑΥΡΙΟΣ ΧΑΙΡΩ - - - - - - -
ΤΗΣ ΔΕ ΑΛΛΗΣ ΑΡΕΤΗΣ - - - -

Sed admodum manca & trunca eſt illa ininſcriptio. Ne plures fuiſſe Daduchos niſi ex unius Archontis appoſitione colligas, quæ ipſa eſt dubia.

(*d*) Hoc memoriæ Cereris inſtitutum, quæ, uti Lactantius lib. I. cap. XXI. & Seneca in Hippolyto meminit, filiam accenſis in Ætnæ vertice facibus quæſierat. Sed puto non ſolos Daduchos, excluſis Myſtis, portaſſe lampades, quin potius Myſtarum, qui votivam taciti quaſſabant lampada, ut cum

H 2 Sta-

Statio loquar, duces crederem. Argumentum præbet illa apud Sponium *in Itiner.* Tom. II. p. 216. baſis, nec non Whelerum. p. 516.

(*e*) Sunt verba Pollucis apud Faſoldum *de Feſtis Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XX.

(*f*) Van Dalen *de Antiquit. Diſſ.* VI. cap. V. p. 491.

VIII.

Hæc de miniſtris Initiorum Eleuſiniorum. Jam de ipſis ſacrorum diebus feſtis. *Primus* myſteriorum dies dictus ἀγυρμὸς. (*a*) *Secundus* dies, qui erat menſis Boedromionis XVI. vocatus Ἅλαδε μύςαι, quia admonere Præco ſacrorum illos ſolitus, uti ad mare ſe reciperent. (*b*) *Tertio* die menſis XVII. facta ſacra. Immolabant mullum (τρίγλην) διὰ τὴν τȣ̃ ὀνόματος οἰκειότητα, quem ſacrum Cereri cultumque a Myſtis novimus. (*c*) *Quarto* die, menſis XIIX. Calathi fuit proceſſio. Calathus ima- fuiſſe dicitur, quo Proſerpina

na flores lectos repoſuerat, curru vecta, quem trahebant boves tarde incedentes; (*d*) ac inter procedendum acclamatum a mulieribus χαῖρε δήμητηρ. (*e*) *Quintus* dies, qui in menſis XIX. incidebat, is fuiſſe videri poteſt, cui ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα nomen; (*f*) ac noctu quidem lampadibus accenſis proceſſerunt. (*g*) *Sexto* die, qui menſis dies XX. audit, Jacchus productus, unde ipſe dictus Ἴακχος, quem cantu excipiebant. (*h*) Jacchi ſimulacro addita fax, quod ipſe nimirum Jacchus, cum filiam accenſis facibus quæreret Ceres, ſocium ſe adderet, facemque accenderet. (*i*) Ipſe Jacchus in fano Cereris, quod erat juxta Pompeum, facem tenens pingebatur. (*k*) Ille cui producendi Jacchi cura mandata, Ἰακχαγωγὸς dicitur. Duxere per Ceramici portas, quæ ἱερὰ dicebantur. Pontem Cephiſſi fluminis cum tranſmiſiſ-

 ſent,

ſent, qui dirimebat viam, tramite certo Eleuſinem ingrediebantur, quæ Μυστικὴ εἴσοδος appellata. Munita vero Decelea interjecto tempore a Lacedæmoniis, intutiſque in agro viis crebris hoſtium excurſionibus, mari omnis pompa ducta. *Septimo* ſacrorum die certamen fuiſſe certum eſt; (*l*) præmiique loco victori datum hordeum τὸ ἔπλαθον, κριθαί. *Octavus* dies Ἐπιδαύρια dictus, quo initiati omnes, qui prima ſolennium die imbui myſteriis non potuerant, unde ſecunda fieri ſacra dicebantur. (*m*) *Nonus* dies, qui menſis erat XXIII. & ultimus myſteriorum πλημοχόη appellabatur. (*n*) Atque ad hæc ſacra vehi bigis mulieribus Græcorum lege non erat integrum, quin potius ſi facerent, ſex mille drachmas quævis pœnæ loco pendit. (*o*)

N O-

N O T Æ.

(*a*) Teſtis Heſychius. Ἀγυρμὸς. ἐκκλησία συγκρότησις. ἔςι δὲ πᾶν τὸ ἀγειρόμενον. καὶ τῶν μυςηρίων ἡμέρα πρώτη. Conf. Jonſton. *de Feſtis Græc.* Part. II. cap. III. n. XIV.

(*b*) Meurſius *in Eleuſiniis* cap. XXIII. & Jonſtonus *d. loc.* n. XV.

(*c*) Vid. Ælianum in *Hiſtor. Animal.* lib. IX. cap. LI.

(*d*) De his Virgilius *Georgicor.* lib. I. vſ. 163.

(*e*) Callimachi locum vid. apud Meurſium c. l. cap. XXV.

(*f*) Vid. Fulgentium *Mytholog.* lib. I.

(*g*) Ariſtides in *Eleuſinia*: Ὦ δᾷδες, ὑφ' οἵων ἀνδρῶν ἀπέσβεσθε ὦ δεινὴ, καὶ ἀφέγγης ἡμέρα, ἣ τὰς φωσφόρους νύκτας ἐξεῖλες. *O faces a quibus viris exſtincti eſtis! O gravis & obſcura dies, quæ illas luciferas noctes exemiſti!* Et quidem viri pariter ac fœminæ errantis luctum Cereris exprimebant. Jonſtonus *c. tr. Part.* II. cap. III. n. XIIX. add. quæ habet de Cherbury *de Relig. gentil.* cap. XII. p. m. 142.

(*h*) Ariſtophanes *in Ranis* Act. I. Sc. VII. vſ. 10. Etiam Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* voc. Διονύσια p. m. 642. F. Hæc paucula ex Ariſtophanis Ranis adfert:

Ἴακχ᾽ ὦ Ἴακχε
Ἴακχ᾽ ὦ Ἴακχε.

Elegantiſſimi ſunt verſus Catulli *eleg.* LXV. de choreis, quas inter eminet nomen Jacchi, quod etiam annotavit Nicolaus *de Ritu Bacchanalior.* cap. XVII. ita Catullus:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus,
Cum thiaſo Satyrorum & Nyſigenis Sile-
nis;
Te qua ens Ariadna tuoque incenſus amore.
Qui tum alacres paſſim lymphata mente fu-
rebant,
Evoe bacchantes, evoe capita inflectentes,
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos,
Pars e divulſo raptabant membra juvenco,
Pars ſeſe totis ſerpentibus incingebant,
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
At tereti tenues tinnitus ære ciebant,
Multos raucisonos efflabant cornua bombos.

Alia vide apud Jonſtonum. cit. tr. Parr. II. cap. III. n. XIX. & Antonium van Dalen *de Orig. & Rit. Sacr. Taurobol.* cap. VII. p. 82.

(*i*) Ita Ariſtophanes *in Ranis* Act. I. Sc. VII. vſ. 25. & in Atticis Pauſanias. Deducebant Jacchi imaginem plauſu, cantu, choreis omni vicinia perſonante. Φῶς μὲν ἐλάμ-
ψαι

ψαι μεγαλέγυσιν Ἐλευσινόθεν, ἦχον δὲ, καὶ φανὴν, τὸ Θριάσιον κατέχειν πεδίον, ἄχρι τῆς θαλάττης ſunt Plutarchi in Themiſtocle verba; & apud Herodotum lib. VIII. cap. LXV. Dicæus, cum in Thriaſio campo conſtiterit, ait ſe ab Eleuſine ſurgentem vidiſſe pulverem καὶ πρόκα τε φωνῆς ἀκούειν καὶ οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν Ἴακχον.

(*k*) Praxitelis id opus fuiſſe ſcribit Meurſius *in Athenis Attic.* lib. I. cap. I. fin. Si ergo nocturna ſacra tollas, nihil aget Jacchus facem lumenque tenens autore Gronovio *in Marmor. Baſi Coloſſ. Tiber. Cæſar. erect.* cap. VII. p. m. 462. B. & Meurſio *in Attic. Lection.* lib. I. cap. XV.

(*l*) Ariſtides *in Panathenaica*: Ἐνδοξότατοι πάντων οἱ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀγῶνες. καὶ μὴν τούτων πρεσβύτατος ὁ τῶν παναθηναίων. εἰ δὲ βούλει, ὁ τῶν Ἐυλευσινίων. Et raro ſine victimis agones, notante Barthio *Adverſarior.* lib. XIX. cap. XXII.

(*m*) Teſte Philoſtrato *in Vita Apollonii* lib. IV. cap. VI. ἦν μὲν δὴ Ἐπιδαυρίων ἡ ἡμέρα.

(*n*) Plemochoas quippe duas implere moris, alteram orientem verſus ſtatuere, alteram ad occaſum ſolis & dein evertere utramque. Vas illud πλημοχόη non hoc tantum nomine dictum, ſed κοτύλισκος etiam everſionem illarum dixeris libationem quandam cujus

meminit Pollux lib. I. cap. I. Sect. XXXI. conf. Caſtellanum in Ἑορτόλογ. p. 661. C.D. Jonſtonum *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. III. n. 22. & Gronovium *in Prolegom. ad Tom. VII. Antiquitat.* p. 5.

(*o*) Itaque anus apud Ariſtophanem in Pluto Act. IV. Sc. IV. vſ. 55.

Μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
Ἐπὶ τῆς ἁμάξης, ὅτι προσέβλεψέν μέτις,
Ἐτυπτόμεν διὰ τοῦθ' ὅλην ἡμέραν.

Myſteriis autem magnis vehentem
In curru, qui me aliquis adſpexit,
Verberabas ideo totum diem.

Faſoldus *de Feſt. Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XXXII. refert mulieres Athenienſium plauſtris cum veherentur Eleuſina, ad magna celebranda myſteria proficiſcentes, mutuis ſe convitiis proſcidiſſe. Hoc moris, ut imitarentur anum, quæ dicteriorum libertate Cererem, cum tota ſqualore ac luctu obſita Eleuſinem veniret, lapidi Ἀγελάςῳ inſidentem ad riſum concitabat. Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p. 662. B. Στηνία quoque feſtum Athenis a fæminis cum primis ſervatum, quarum natura ad convitia proclivior. Convitiis quippe, ut ſe lacerarent, tota inſtituta. Caſtellanus p. 695. F.

I X.

I X.

Hæc celebrata Eleuſinia a Celeenſibus, Philaſiis, Pheneatis, Lacedæmoniis, Parrhaſiis, Cretenſibus, Romanis aliiſque. (*a*) Omnes Græci his initiari ſacris maximam operam dabant, (*b*) quod nec a fœminis alienum, quæ inde Μέλισσαι dictæ. (*c*) Peregrinis (*d*) non tam beatis eſſe licuit, ut initiarentur, ſummo quamvis ſtudio initia appeterent, ſed cuivis Eleuſiniorum in ore illa poëtæ: *Odi profanum vulgus & arceo.* (*e*) Romanis Imperatoribus quoque initiatio curæ cordique, de quibus alio loco ſermonem inſtitui. Jam Adrianum ſiſto, unicum quidem exemplum, ſed quod ſit inſtar omnium. Quis enim Adrianus ille? Vir, qui ſe ſcientiæ & prudentiæ laude antecellere omnes exiſtimabat. Tamen Eleuſiniis is initiatus eſt, magno prorſus exem-

plo, e quo elucet, quantus fuerit Eleuſiniorum apud imperitos honos, cum prudentiores ea divina eſſe exiſtimarint. (*f*) Sic Antoninus Imperator, qui pietatis laudem, uti Adrianus prudentiæ gloriam ſibi vindicabat, initiari iiſdem ſacris voluit. (*g*) Omnia illa nata inde credo, quod longe feliciores cæteris crederent initiatos. (*h*) Nec illa myſteria cultumque Cereris ulla lex, niſi quæ demum Chriſtianorum Imperatorum ævo lata, antiquare aut tollere potuit. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Multis comprobat Meurſius *in Eleuſiniis* cap. XXXIII. Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p. 655. D. E. de Pheneatis alio quoque loco Meurſius in *Heraclide* p. m. 697. B.

(*b*) Herodotus lib. VIII. cap. LXV.

(*c*) Vetus inſcriptio apud Meurſium *in Eleuſin.* cap. XVI.

(*d*) Aliiſque, quorum ſeriem videas in Meurſii *Eleuſiniis* cap. XIX.

(*e*) A-

(*e*) Apollodorus lib. II. p. 206. ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν τοῖς ξένοις TOTE μυεῖσθαι. Sed duntaxat hoc de temporibus antiquis intelligendum poſtea reliquæ gentes etiam initiatæ.

(*f*) Fleury *dans l'Hiſtoire Eccleſ.* Tom. I. liv. III. p. 312. l'Empereur Adrien viſitant les provinces de l'empire, vint pour la ſeconde foi à Athenes la huitiéme année de ſon regne, cent vingt quatre de Jeſus Chriſt. Il y paſſu l'hyver & ſe fit initier aux myſteres d'Eleuſine.

(*g*) De Cherbury *de religione gentil.* cap. XII. p. 142.

(*h*) Chorus apud Ariſtophanem *in Ranis* Act. I. Sc. IV. vſ. 133. Alexandrum in *Tabul. Heliac. explic. circ. fin.* Faſoldum *de Feſt. Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XIX. Eadem in Cabiriis factitata reperio, quibus, ſi quis eſſet initiatus, tutus ab omnibus periculis credebatur. Apollonius lib. I. Diodorus lib. V. Meurſius *in Græc. feriat.* lib. IV. voc. KABEIPIA.

(*i*) Meurſius *in Eleuſin.* cap. XXXIII. Jonſtonus *de Feſt. Græcor.* Part. II. cap. III. n. XVI. Tollere ea Valentiniano animus, qui ab exceſſu Juliani rerum fuit potitus, ſed obſiſtebant alii ſummis viribus, ne quid detrimenti ſacra Cereris caperent.

X.

Silentium, quod omnibus Myſtis impoſitum maximam lucem attulit Eleuſiniis. (*a*) Deinde quoque ipſa pompa ſacris adhibita. Atque hæc tantæ quidem fuit religionis, ut a lugentibus celebrari nefas eſſet, quæ tamen ob luctum Cereris inſtituta eique dicata. Sic omiſſa reperio, cum Thebæ captæ ab Alexandro ingentem Athenienſibus cladem infligerent. (*b*) Egregium eſt, quod *Livius hiſtor.* lib XXII. cap. LV. memoriæ prodidit, cum clade Cannenſi pene rueret imperium Romanum. Privatæ quoque, ait, clades vulgatæ ſunt: adeoque totam urbem opplevit luctus, ut ſacrum anniverſarium Cereris intermiſſum ſit, quia nec lugentibus facere id fas, nec ulla in illa tempeſtate Matrona expers luctus fuerat;

rat; Itaque ne ob eandem cauſam alia quoque ſacra publica aut privata deſererentur, SCto diebus triginta luctus eſt finitus. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Vulgare ſacra Eleuſinia Cererisque myſteria capitale, unde recte Juſtinus lib. v. cap. I. myſteria Cereris initiorum ſacra nullo magis, quam ſilentio ſolennia ait. Lex in eos, qui aliquid effutirent, lata, ſic habet: τὸν ἐξειπόντα τὰ μυςήρια τεθνάναι. Proſcriptus aliquando Melius ille, inque extremum vitæ diſcrimen ſummus ac pene primus Græcorum poëta adductus, qui ſuis carminibus nonnulla ex iis publici juris fecerat. Faſoldus de *Feſt. Græcor.* Dec. II. Feſt. I. n. XXXIII. XXXIV. Natum proverbium Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια, quod apud Zenobium Duris uſurpatum fuiſſe tradit, ſi quando conveniſſent inter ſe, qui de re quapiam arcana tractarent. Pauſanias quoque non uno in loco de myſteriis agens, ſomnio ſe eſſe monitum ait, ne ſecreta proderet. Petrus Caſtellanus in Ἑορτολογ. p. 622. D. Memini etiam ex Horatio van Dalen *de Antiquit. Diſſ.* III. cap. VIII. p. III. Comprobo præterea autoritate Senecæ *in Hippolyto* v. 107 Statii *Sylvar.* lib. IV. carm. VIII. vſ. 51. Tibulli

bulli lib. III. vſ. 199. Horatii *Carminum* lib. III. Od. II. Menetreji *in Dianæ Epheſ. Statua* p. 379. C. D. & Sophoclis *in Oedip. Col.* vſ. 1103. Nec omittendum duxi, quod annotavit in elegantiſſimo de *Themide Attica* opere Meurſius lib. II. cap. XX. non tantum vulgare ſacra Cereris non licuiſſe, ſed ne templum quidem ejus ingredi. Qui ingrederentur aut occiſi aut excœcati. Cur autem gentiles tanto homines ſilentio obſtringerent, exprimit van Dalen *de Oracul. Ethnic. Diſſ.* I. cap. XVII. p. 387.

(*b*) Plutarchus *in Alexandro.* Modico autem tempore apud Græcos luctum definivit Spartanorum lege Lycurgus, ita ut die duodecimo rem divinam facerent Cereri. Plutarchus *in Lycurgo* p. m. 65. C. *χρόνον δὲ πένθοις ὀλίγοι προσώρισεν, ἡμέρας ἕνδεκας· τῇ δὲ δωδεκάτῃ θύσαντας ἔδει δήμητρι λύειν τὸ πένθος.* Hoc adeo fuit conſtans edictum, ut, quod ſcribit Meurſius *de Funere* cap. LI. neceſſariò finiri luctus in ſacris Cereris deberet.

(*e*) Hinc illa Feſti, qui luctum finiri ait, *ſi in caſto Cereris ſit*, quo verbo torquentur Rævardus *Varior.* lib. I. cap. XX. & Canterus *Variar. Lection.* lib. II. cap. XXI. cum plana ſint omnia.

X I.

X I.

Hæc ſibi ſapienter inſtituiſſe ſacra videbantur gentiles. Si autem verum audire vis, ſummam ſtupiditatem aut amentiam arguunt omnia, nec deſunt qui lætum ſimul ac lugubrem Cereris cultum exſibilent. (*a*) Certe non de minutione luctus & honore Cereris cogitarunt, ſed vaniſſimus ſibi quiſque indulgere, ſibi ſacra facere, ac voluptatibus cæco impetu inhiare. (*b*) Res ipſa loquitur. Omnis impuritatis omnis licentiæ in Eleuſiniis ſpartam videas, ruere in promiſcuas libidines Myſtas & nefando cultu ſacra polluere. Phædra amavit virum, quem nunquam niſi ad myſteria venientem amaſſet. (*c*) Quod ſi nullo ſcelere, nullo facinore impiori innotuiſſent, ipſa ſacra myſteria caſtas aures læderent. Oſtenditur initiatis membrum muliebre,

liebre, (*d*) avertant Dii omen! quis quæſo illas libidinum adminiſtras *in caſto Ceteris* eſſe putaret? Non operam ſacris non cultui divino non abolitioni criminum dederunt, ſed omne ſcelus referre faciem honeſtatis putabant, ſi pietatis titulo adjutis impiis eſſet liceret. Multa nefanda, quæ vix in hiſtrionibus toleraret quiſquam, Myſtæ ipſa in pompa admittebant, quo populum in ſe converterent. (*e*) Aliis quoque ſacris omnium ſcelerum notæ inuſtæ. Quid magis clarum & inclytum priſcis gentibus quam Iſidis illa ſacra? Nihilominus vix aliquod lupanar invenias, ubi tot ſtupra, tot libidines, tot libidinum prægustatores ac miniſtros videres, quam in fano Iſidis. (*f*) De aliis graviter conqueſtus eſt Arnobius. (*g*) Quid ſi finis idem paganorum poſteris manſiſſet, qui erat majoribus in his ſacris inſtituendis, quis cœcum

cum pietatis ſtudium rideret? (*b*)

N O T Æ.

(*a*) Vide Auguſtinum *de Civit. Dei* lib. VII. Cap. XX. Arnobium *adverſus Gent.* lib. V. & Julium Firmicum apud Pignorium *in Matr. Idea & Attid. init.* p. m. 513. B. In hæc verba: *lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſirin, ſed ſine noſtra centumelia dignitatis.*

(*b*) Sic Parrhaſii, quod Meurſius in *Græc. feriata*, lib. IV. voc. Καλλιστεῖα ſcripſit, in Eleuſiniis de pulchritudine certamen inierunt. Egregius eſt locus Athenæi, ſed & nimis prolixus, qui adſcribatur, adſcripſit tamen Van Dalen *de Antiquit. Diſſ.* VII. cap. II. p. 557. 558. (*Edit. Amſtelod.* 1702. in quarto) nec mulierum iſta ſolum vanitas, verum & virorum, apud *eundem. d. cap.* II. p. 563.

(*c*) Meurſius *in Theſeo* cap. XXI.

(*d*) Τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον. Faſoldus *de Feſtis Græc. Decad.* II. Feſt. I. n. 36. Ita quoque ſacra μυλλοὶ, ut hæc obiter addam, his turpitudine pares. Circumferunt muliebria pudenda e melle & ſeſamo confecta in honorem Cereris. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. III. Sect. II. n. I.

(*e*) Recte iis Auguſtinus *de Civit. Dei* lib.

VI.

VI. cap. XXI. exſultantem in propatulo nequitiam exprobrat. Recte Gregorius *in Orat. εἰς τὰ ἅγια-φῶτα*, eos turpes eſſe ſignis & factis ait, *ἀισχροὺς καὶ τοῖς σήμασι, καὶ τοῖς πράγμασιν*. Omnium, qui corruptos mores perſtringuut, optime Græcorum occultas libidines, aut in obeundis ſacris dementiam detexit Theodoretus *Græcanic. affection.* lib. VII.

(*f*) Vid. Juvenalem *Satyr.* VI. & IX. meminit Ovidius *Amor.* lib. I. *eleg.* VIII. & lib. III. *eleg.* III.

(*g*) *Adverſ. gentes* lib. V. p. m. 169.

(*h*) Arrianus *in Epictetum* lib. III. cap. XXI.

X I I.

Impiam in Cererem pietatem mirari noli. Qualis Rex; talem oportet eſſe gregem. Ipſa origine progreſſus ſacrorum non potuit eſſe felicior. Stulta ſunt, quæ de ipſa origine narrant & ab omni ratione aliena, quæ de Cerere monſtra narrantur. (*a*) Fœda libido, raptus virginis violentus, ſtupra clandeſtina, nuptiæ orcinæ

&

& inceſtuoſæ, quibus ſuos natales Eleuſinia debent, (*b*) nullos niſi ſtultiſſimos ſacrorum ritus producere inſulſiſque hominibus commendare potuerunt.

NOTÆ.

(*a*) Arnobius *Adverſ. Gentes* lib. v. p. 170. Hæc eſt illa Ceres, hæc illa Proſerpina. cujus in honorem celebria illa Eluuſinia demum inſtituta.

(*b*) Non fallitur Arnobius *cit. lib.* v. p. 176. & *Tertull. adv. Valent.* c. 1. vid. Joſeph. Scaligerum *de Emendat. Temporum* lib. v. p. 418.

Caput Sextum.

De Panathenæis, Hephæſtiæis ac Prometheis tribus celeberrimis in Græcia Lampadophoriis inque Ceramico agi ſolitis.

§. I.

De Eleuſiniis paullo plenius egi, progredior ulterius, ac

ac quo pede cæpi, eo. Tria potiſſimum in Græcia Lampadophoria fuiſſe comperio: Ἐδηναῖα, Ἡφαιςιαῖα, Προμηθεῖα. *Suidas* ait: Iſtrum reliquiſſe ſcriptum: quod quum Athenienſes ſacra Vulcano facerent, in quibus uſus lampadum frequens, de referendis Palladi, prudentiſſimæ lampadum inventrici, gratiis quoque cogitaſſe. Promethei quoque nomen, qui ſuprema litterarum memoria primus varias artes & diſciplinas Poſteris tradiderat inclytum fuiſſe. Sanxiſſe ergo, ne ingrati pro tantis meritis viderentur, ut pariter in illorum ſacris lampadibus poſteri uterentur. (*a*)

NOTÆ.

(*a*) Non abs re egeris, ſi hac de re, quæ eleganter conſignavit Poſtellus *de republ. Athenienſ.* cap. XXI. evolvas. De Minerva lucernarum inventrice vid. Petri de la Seine *Nepenth. Homeri* Part. I. p. m 1347. C.

II.

I I.

Hæc tria lampadum certamina longe celeberrima in Ceramico Athenienſium habita. (*) Ceramicum fuiſſe Athenis duplicem conſtat, (*a*) alterum quidem extra urbem, in urbe alterum. (*b*) Antiquiſſimis equidem temporibus Ceramicus inſalubris locus & deſertus pene erat, (*c*) cui magnum Cimon Dux Athenienſium attulit incrementum. (*d*) Non immerito nobiliſſimum Athenarum locum & qui maximam urbis partem conſtituerit, nominant; (*e*) tantæque apud Athenienſes fuiſſe autoritatis reperio, ut videre in illo nefas putaverint. Nec poſtea memoria ejus exolevit. Condidit Hadrianus Imperator Græci moris ſtudioſiſſimus in villa ſua Tiburtina locum, quem Academiam ſive Ceramicum dixit. (*f*) Nec illa Academia Athenarum, ubi lam-

lampadum certamina celebrata alia, quam ipſe Ceramicus, (*g*) prout jam ante me annotavit Meurſius *in Græcia feriat.* lib. v. p. 813. D. E.

NOTÆ.

(*) Ita Suidas *κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ὅπου ἐπετέλουν οἱ Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἐνιαυτὸν λαμπαδοῦχον ἀγῶνα.* Verba Etymologici habet Meurſius *de Panathenæis* cap. VIII. infin. p. 89. Omnes quidem lampadarii certaminis Dii, uti addit Meurſius *de popul. Attic.* voc. *Κεραμέικος* p. 728. uno eodemque loco inclaruerunt. Ita quoque Lazius *de Rebus Græc.* lib. II. cap. I. Ceramicum editum in Attica fuiſſe locum tradit, ubi Athenienſes ſingulis annis lampadum certamen celebrarint, & *Scholiaſtes* Ariſtophanis *ad Ranas* inquit: *Λαμπαδηδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ κεραμικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως. Lampadum curſus fiunt tres in Ceramico Minervæ, Vulcani ac Promethei.*

(*a*) Meurſius *in Athenis Atticis* lib. I. cap. I. Noſter Theramenes Act. II. & Gronovius *Antiquit.* Tom. IV. p. 824. A.

(*b*) Adduxit Meurſius *de Ceramic. gemino* cap. XIX. verba *Thucydidis* lib. VI. e quibus

iſta

iſta haurias, ſed minus recte illa expoſuit, ut animadvertit van Dalen *de Antiquit. Diſſ.* II. cap. III. p. 217.

(*c*) Tamen Plato, qui relicta urbe in eum conceſſerat domicilium transferre noluit. Sed nova indies incrementa illa ſolitudo cepit. Theſeus, cum ſupremum diem obiiſſet, qui fere primus Athenas ornavit, acceſſere ſuburbia illuſtria ac amœna, nec ædificiis infrequentia, Lyceum, Academia, Ceramicus. Emmius *Rer. Græcar.* Tom. I. lib. III. p. 112. E. Nomen ei datum a Ceramo Heroe, Bacchi ex Ariadna filio. Eodem nomine appellabantur *κεραμεῖς*, qui in Ceramico habitabant. Ita Ariſtophanes *in Ranis* vſ. 1079. & Ælianus *Variar. Hiſtor.* lib. II. cap. XXI. quamvis perperam vulgò legitur: *ὁ ἐκ κεραμείων* pro *ὁ ἐκ κεραμέων*. Nec apud Græcos tantum nomen Ceramici circumlatum, verum etiam ſinus in regione Cariæ Ceramicus dictus a Ceramo oppido, quod poſt Halicarnaſſum inter reliquas Cariæ urbes celebratur, Emmius *Rerum Græcar.* Tom. I. lib. VI. p. 148. A.

(*d*) Meurſius *de Ceramic. gemin.* cap. XXVII. Heroum ubivis imagines affixæ, Theſei, qui Scyronem in mare abjiciebat, Auroræ Cephalum ferentis aliorumque. Vid. Lazium *Rerum Græcar.* lib. II. cap. I.

(*e*) Vid. Meurſium *de Ceramic. gemin.* cap. I.

(*f*) Spartianus *in Adriano* cap. XXXVI. Extant

tant hodie quoque veſtigia & Ceramicum exteriorum nomen Keramaia nactum fuiſſe, refert Sponius *in Itinerar.* Tom. II. p. 422.

(*g*) Ita explicanda verba Plutarchi *in Solone*: Ἀκαδημία, λουτρὸν, ἡ πόλις. λέγεται δὲ γυμνάσιον Ἀθήνησιν ἀπὸ Ἀκαδήμου ἀναθέντος. καὶ τόπος. καλεῖται γὰρ οὗτος ὁ Κεραμεικός.

III.

Multa ſunt, quæ de his lampadum tribus certaminibus antiqui memoriæ prodiderunt. (*a*) Panathenæa Minervæ, Hephæſtia Vulcano, Promethea Prometheo ſacra fuerunt. (*b*) De ſingulis antequam dicere exordiar, paucula initio adjiciam. Certamen lampadum tale erat, ut facem ardentem in locum deſtinatum perferrent; quod ſi cujuſpiam fax, dum curreret, extingueretur, victoriæ præmiique laudem amittebat. Hi dicebantur Lampadophori, qui ſive pedites ſive equites certabant. (*c*) Si metu, ne extin-

extingueretur lampas aut fax, ſegnius currerent, palmis ſe verberabant, percuſſo ventre, latere, iliis, ac natibus, quæ ſunt verba Comici Ariſtophanis *in Ranis* Act. III. Sc. II. vſ. 88. & 89. Certatum in Ceramico, uti dixi, curſu, paleſtra, utribus, ibidemque *Faces* ex turri quodam diſtributæ. Inter currendum via inter ſe partita ἐκ διαδοχῆς, facem accenſam alius alii dabat. (*d*) Plagæ, quibus ſe invicem appetebant, dictæ κεραμικαὶ πληγαὶ, victor λαμπαδηφόρος appellabatur. Notandum cum primis, quod ſimulacrum Amoris in Ceramico fuerit a Piſiſtrato dedicatum, ad quod ignem in certamine lampadario accendebant. (*e*) Nunc de ſingulis lampadum certaminibus diſpiciendum.

NOTÆ.

(*a*) Vide Ariſtophanem *in Ranis* vſ. 129. 130. 131. 132. 133. Arrianum *de Expedit. Alexandri* lib. III. Ænean Tacticum *Poliorc.* cap. XVII. Julium Pollucem lib. VIII. cap. IX. & ante omnes Scholiaſten Sophoclis apud Caſtellanum *de Feſtis Græcor.* p. 680. C.

(*b*) Hapocration. Τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς Λαμπάδος, Παναθηναίοις, καὶ Ηφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις.

(*c*) Hæc erudite ſatis proſequitur van Dalen *de Antiquit. Diſſ.* VI. p. 504. *De his,* ait, *ſicuti Meurſius & Caſtellanus conſuli poſſunt ulterius, nobis hæc ſequentia notaſſe ſuffecerit; nempe Lampadophoros fuiſſe illos, qui in Panathenaicis in Hephæſtiæis & in Prometheis agonibus ac ludis, ſive pedites, ſive in equis Lampadodromià certabant: unde & Lampaduchi appellabantur, teſte Heſychio, cum jam victores in iſto curſus certamine evaſiſſent. Λαμπαδάρχαι autem, ex Ariſtotelis libro quinto Politicorum videntur fuiſte iſti, qui huic curſus certamini ac ludo præerant, quique impenſas, ſeu ſumptus illis adornandis ac perficiendis faciebant; ſubminiſtrando ſcilicet lampadas, aliaque, quæ huic feſto ac certamini aut neceſſaria aut honorifica erant; quæ interim illis propriis ſumptibus, ſive ex ſorte, ſive voluntarie perficere imcumbebant.* (Is, de quo

quo hic van Dalen loquitur, eſt ipſe ὁ βασιλεὺς, qui præerat certaminibus. Vide de Rege Poſtellum *de Republ. Athenienſ.* cap. XXI. fuere etiam οἱ ἐπιμεληταὶ, qui omnia dirigebant. Julius Pollux lib. VIII. cap. IX. Sect. III.) *Ipſius vero,* pergit noſter, *Ariſtotelis verba ſunt:* λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς μὲν, μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας. *Sumptus facere in munera Reipublicæ, quæ impenſæ quidem eos, qui illa gerunt, gravant: at ſi ipſi Reipublicæ inutiles ſunt: quales ſunt munus erogationis ſumptuum in ludos Choricos, & præfecturæ certaminis lampadum;* & poſt: *non autem in omnibus Lampadodromiis, quæ tres numero erant, certamen uno eodemque cum cæteris peractum fuiſſe, oſtendere videntur illa Herodoti verba, ubi libro* VIII. *De Angariis Perſarum loquitur,* ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ· ὁ δὲ δευτέρος τῷ τρίτῳ. τὸ δὲ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδοφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. *Quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus item tertio: & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre curſuros perſeverant. Qui curſoros tamen in certamine illas tradebant iis, qui ipſis poſteriores in curſu erant, non ut apud Herodotum Perſæ, illis,*

ad quos priores illi vehementer currendo pervenerant, dum ipſi poſteriores eſſent: ac fiebat iſta lampadis traditio jam decurſo ſpatio,

(*d*) Ita etiam interpres vetus ad Juvenalis Satyram VI. *Apud Athenas*, inquit, *cum juvenes ludos curſu celebrabant, qui victor eſſet primus facem tollebat, deinde ſequenti ſe tradebat, & ſecundus tertio: Similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.* Vide Faſoldum *de Feſtis Græcor.* Dec. IX. Feſt. I. §. VI. VIII. Jonſtonum *de Feſtis Græcor.* Part. I. cap. IV. Perſium *Satyr.* VI. vſ. 61. Herodotum lib. VIII. cap. XCVIII. & Meurſium *de popul. Atticis* p. 729. B. ex Pauſania.

I V.

A Panathenæis jam dicere exordiar, tum ob celeberrimum ejus nomen, tum ob Palladem ſive Minervam, cujus honori nominiqne ſacrum voluit antiquitas & cujus nomen Eruditis inprimis ſanctum atque dulce fuit. Origo eorum antiquiſſima, & maximum autoris apud Græcos nomen. (*a*) Inſti-

Inſtituta eſſe alii ab Erichthonio, (*b*) ab Orpheo alii, (*c*) a Theſeo demum alii commemorant. (*d*) Sub Hippoclide Athenienſium Archonte emerſiſſe, (*e*) Ægei autem Regis tempore jam in univerſa Græcia inclaruiſſe tradunt. (*f*) Quicquid ſit, Theſeus alter Athenarum conditor autores inter cum primis nominandus. Nec antiquitas eorum præclara tantum, ſed etiam cauſa ac ipſe quaſi fons originis. Theſeus ſummus bello domique Vir multis rebus geſtis exſatiatæ gloriæ hoc unum ſupereſſe credidit, ut ipſam Athenarum urbem ornaret, quam armis tuebatur. Ergo certum fuit ipſi conſilium, ut unam in urbem municipes cogeret. Ea de cauſa inſtituiſſe Panathenæa, quæ & Athenæa audiunt, legitur. (*g*)

NOTÆ.

(*a*) Panathenæa feſtum Athenis nulli ſecundum, in Minervæ honorem inſtitutum nemini dubium, cui cognita illa Pollucis *Onom.* lib. I. cap. I. Sect. XXXII. verba: Ἀθηνᾶς Παναθήναια & quæ habet Meurſius *de Panathenæis* cap. I. qui liber Gronovii *Antiquit.* Tom. VII. p. 83. acceſſit. conf. Pindarus *Pythionic.* Od. IX. Epod. IV. Errat Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. XVIII. cap. XII. qui addit Apollinem, cum tamen hunc nuſpiam Deum Athenarum tutelarem reperiam, ſed Minervam tantum & Neptunum apud Strabonem lib. IX. fol. 459.

(*b*) Quod tamen de minoribus ſaltem Panathenæis dicendum. vid. Sigonium *de tempor. Athenienſ.* p. m. 1633. C.

(*c*) Meurſius *in Attic. Lection.* lib. IV. cap. XXI.

(*d*) Meurſius *de Fortun. Athen.* cap. III. & Emmius *Rer. Græcar.* Tom. III. *de Republ. Athen.* p. 436. E. F.

(*e*) Meurſius *de Archont. Athen.* lib. I. cap. XI. init.

(*f*) Diodorus Siculus lib. IV. Τῶν δὲ Μίνωος ἡῶν Ἀνδρόγεως μὲν εἰς τὰς Ἀθήνας κατήντησε, Παναθηναίων συντελȣμένων, Ἀιγέως βασιλεύοντος.

(*g*) Addo Suidæ locum inſignem: Παναθήναια ἀθήνησιν ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θήσεως γινο-

γινομένη συνοικισμῷ πρῶτον ὑπὸ ἐριχθονίȣ τοῦ ἡφαίςȣ, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ὕςερον, δὲ ὑπὸ Θήσεως συναγαγόντος τȣ̀ς δήμȣς εἰς ἄςυ. ἄγεται δὲ ὁ ἀγὼν διὰ πέντε ἐτῶν. Athenæus lib. XII. cap. XVI. quoque ait, Periclem huic feſto nomen indidiſſe. Vid. Faſoldum *de Feſt. Græcor. Decad.* XII. Feſt. V. n. I. Caſtellanum *de Feſtis Græcor.* p. m. 686. D. E. Gronov. *in Prolegom. ad Tom.* VII. *Antiquit. Græcar.* p. 6. de ipſo Panathæorum nomine moneo, quod etiam τὰ χαλκεῖα Athenæorum nomine venirent, prout annotavit Meurſius in *Græcia feriat.* lib. I. voc. Ἀθηναῖα. conf. lib. V. voc. Πανδήμον.

V.

Panathenæa, uti & de Eleuſiniis retuli, majora & minora fuerunt, quibus certamina *gymnica*, *muſica*, *equeſtria* ſplendoris cauſa addita lego, (*a*) nec enim aliter majora celebrata quam ipſa fere minora. (*) Majora ſingulis quinquenniis die XXIII. menſis Ἑκατομβαιῶνος, minora quotannis die XX. menſis Thargelionis habita. (*b*) Primo ſolennium die actum certamen equeſtre, nec mihi aliquid

magis arridet, quam quod fuerit *Lampadarium.* (*c*) Magna in dignitate ludus equeſtris apud Græcos, quippe qui etiam gymnico prælatus & ab ipſo Hercule originem duxit. (*d*) Tum lampades accenſæ & luminibus campus illuſtris populo fuere ſpectaculo. Nocte ruente lampadibus ipſum certamen initum pretiumque victori promiſſum. Alterum *certamen* dictum *gymnicum* nec non Ἐανδρίας ἀγὼν. (*e*) Gymnicorum autem certaminum diverſa conditio, dicti alii βαρεῖς *graves*, alii κοῦφοι leves. In levibus curſus ac ſaltatio celebris; forſitan quoque adderes ἀκροχειρισμὸν. (*f*) Ad graves luctam, pugillatum ac Pancratium referunt. (*g*) Demum fuit *Certamen muſicum* in Odeo agi ſolitum & a Pericle inſtitutum. Nomen ei a tibicinum concentu Synauliis inditum; (*h*) ac decantatæ in illo Thraſybuli laudes, quem vindicem ac pene

pene autorem amiſſæ libertatis Attici habuerunt. (*i*) Ii, qui vincebant his certaminibus, epulum ſodalibus dare tenebantur. (*k*) Victores, ut mos eſt, oleæ ſerto ornati, unde apud multos olei religio. (*l*) Cumque ab omnibus Atticæ regionis urbibus mitterentur boves, non ſolum victoribus ſua parta laus, ſed opima quoque holocauſta oblata Diis. (*m*) Moris hoc in omnibus hieronicarum certaminibus, ut victorialibus amicorum conviviis, epulis cœniſque exciperentur, quod dicebatur *τὰ νικητήρια* ſive *ἐπινίκια ἑστιᾶσθαι.* (*n*)

N O T Æ.

(*a*) Apollodorus lib. III. cap. XIV. *ἧκεν εἰς Ἀθήνας, καὶ τὸν τῶν Παναθηναίων ἀγῶνα ἐπετέλει.* Talia quoque certamina Romæ inſtituit Nero, autore Suetonio in *Nerone.* cap. XII. & van Dalen *in Diſſ. de Neocor. Sacerdot. & Urbib.* cap. III. p. 325. Tria autem tantum in Panathenæis certamina obti-

nuerunt, quo referam demum ἐυανδρία certamen in Panathenæis de virilitate celebrari ſolitum? ſed vide de illo Meurſium *in Lection. Atticis* lib. v. cap. IX.

(*) Meurſius *de Panathenæis* cap. XVI.

(*b*) Faſoldus *de Feſt. Græc. Dec.* XII. Feſt. v. n. 2. is menſis Hecatombæon Theſei tempore dictus Cronius annotante Meurſio *in Theſeo* cap. VIII. Thargelion autem menſis totus Deo Apollini ſacer, quo celeberrimum Dianæ & Apollinis feſtum habitum Thargeliorum, vid. Caſtellanum *de Feſt. Græcor.* p. 670. & Jonſtonum *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. II. n. I. init.

(*c*) *Scholiaſtes* Ariſtophanis *in Ranis*: Ὁ τῆς λαμπάδος ἀγὼν τρίτων Ἀθενησιν ἤγετο. κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίςεια, Παναθήναια. Elegans quoque eſt Meurſii *in Panathenæis* cap. VIII. & Ariſtophanis *in Ranis* verſ. 1058. locus.

Μὰ Δὶ ἐ δῆθ' ὡς ἀπεφανάνθην
Παναθηναίοισι γελῶν, ὅτε δὴ
Βραδὺς ἄνθρωπος τὶς, ἔθει, κύψας
Λευκὸς, πίων, ὑπολειπόμενος,
Καὶ δεινὰ ποιῶν. κᾆθ' οἱ κεραμῆς
Ἐν ταῖσι πύλαις παίɤσ' ἀυτɤ
Γαςέρα, πλευρὰς, λαγόνας, πυγὴν,
Ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις
Ὑποπερδόμενος,
Φυσῶν τὴν λάμπαδ' ἔφευγε.

(*d*) Hæc ex Fabro *in Agoniſtic.* lib. I. cap. XXXII. deſumpſi.

(*e*) Ait Harpocration: Παναθηναίοις Ἐυανδρίας ἀγὼν ἤγετο. Inſtitutum Olympiade LIII. notante Euſebio *in Chron. ad Olymp.* LIII. *ann.* III. conf. Meurſius *in Panathenais.* cap. IX.

(*f*) Mercurialis *de Re Gymnaſt.* lib. VI. cap. III.

(*g*) Æſchines *contra Cteſiphontem* fol. 75. & Faber *in Agoniſtic.* lib. III. cap. XXVI.

(*h*) Pollux lib. IV. cap. X. Ἀθήνησι δὲ καὶ Συναυλία τὶς ἐκαλεῖτο, συμφωνία τὶς αὐλητῶν, ἐν Παναθηναίοις συναυλούντων. *Athenis vero etiam ſynaulia quædam vocatur, quod certamen eſt concentus mixtus ex tibio & rythmo ſine ſermone pronunciantis.*

(*i*) Jonſtonius *de Feſt. Græcor.* Part. II. cap. II. n I. Magna quoque tempore poſteriori eorum fuit laus, qui certamine muſico reliquis palmam præriperent; eorum publicum præconium, populi plauſus, & aliquando muſices penes ipſos Imperatores ſtudium. Laudes eorum proſequitur Faber *in Agoniſtic.* lib. II. cap. XIV. & cap. XXIV. ſummi ubique adhibiti viri, quorum cantu & fidibus nihil dulcius. Additi ſtimuli ex hortationibus & præfationibus, quæ ἐνθύρια προοίμια. Faber d. lib. II. cap. XXXII. Suæ adeo muſicis agonibus leges, quaſi e Republica foret his omnimodo proſpicere. Faber cit. loc. lib. III. cap. VIII.

(*k*) Habes Calliæ exemplum apud Athenæum lib. v. cap. II. pluribus hæc expoſuit Bulengerus *de Conviv.* lib. I. cap. XVI. nonnulla commemorat Laurentius *de Conviv. Veterum. cap.* IV.

(*l*) Panathenaicum quippe oleum Athenis perſeveranter obtinuit. Plinius *hiſtor.* lib. XIII. cap. I. Bayſius *de Vaſcul.* p. m. 698. B.

(*m*) *Scholiaſtes* ad Ariſtophanis *nubes* vſ. 385. 386. ἐν τοῖς Παναθηναίοις αἱ Ἀττικαὶ τοῖς Ἀθηναίοις πόλεις ἔπεμπον βοῦς. ὅθεν ἡ δαψίλεια τῶν κρεῶν. *In Panathenæis Atticæ urbes Athenienſibus mittebant boves, unde abundantia carnium.*

(*n*) Faber *in Agoniſtic.* lib. II. cap. XVIII.

V I.

Sunt tamen nonnulla, quibus præ minoribus Panathenæa majora inclaruerunt. Facta quippe in majoribus deductio pepli. (*a*) Peplus autem fuiſſe velum navis Panathenaicæ dicitur, quam Athenienſes Minervæ extruebant. (*b*) Intextæ velo res præclaræ & à Minerva contra Titanes geſtæ, inde qui ſtrenuam in bello operam navarent, ἄξιοι τοῦ πέπλου dicti.

(*c*) Pe-

(*c*) Peplus quando deduceretur, ingenti pompa illum ſecuta multitudo; ac inſtructus quidem extra urbem per Ceramicum latus. (*d*) Cum Mercurios tranſiiſſent, (*e*) arcem cum peplo petunt, ubi Minervæ ſimulacro inſtratus. (*f*) Pompa ubi duci cæpta, ſenes primo incedebant ramum oleæ præferentes, unde Θαλλοφόροι dicti. (*g*) Delecti ſenes qui forma præſtantes & ipſo vergentis ætatis occaſu vigorem aliquem oſtentabant. (*h*) Senes & annis graves excepêre viri ætate florentes & forma conſpicui. (*i*) Secutæ mulieres, (*k*) ephebique chlamydati, quorum denique agmen virgines claudunt cum caniſtris, quibus allata, quæ ſacris faciendis inſerviebant. (*l*) Virgines inſequebantur pueri tunicis amicti, quæ παρδαμικοὶ nuncupatæ. (*m*) Hæc omnia quo rite fierent Νομοφύλακες diſpiciebant. (*n*)

N O-

NOTÆ.

(*a*) Plato *in Eutyphrone* & Jonſtonus *de Feſt. Græcor.* Part. II. cap. II. n. I. & VII.

(*b*) Suidas voc. *πέπλος.* inquit: Ἰδίως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις πέπλος τῆς Ἀθηναϊκῆς νεὼς, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ. De navi ipſa Philoſtratus in vita Herodis Attici egit, cujus inregrum locum adſcripſit van Dalen *de Agonothet. Panegyriarch.* cap. I. p. 511. & 512. Ubi Meurſii etiam ſententiam improbat, qui illam vecturam navis Panathenaicæ, qua Herodes ille nobilitatus eſt, antiquis jam temporibus obtinuiſſe credit. Certus quoque *καταντης* inſtitutus, qui partes pepli in pompa forte inquinati purgaret. Jonſtonus *d. l.* n. XI. & Meurſius *in Atticis Lection.* lib. II. cap. XII. init. conf. Faſoldus *de Feſt. Græcor.* Dec. XII. Feſt. V. n. 3. Caſtellanus *de Feſtis Græc.* p. 688. E. F. Scripſit de peplo Brontanus, uti refert Meurſius *in Biblioth. Græc.* lib. II. voc. Brontinus. Apud Eleos quoque moris fuiſſe lego, ut Matronæ ſedecim quinto quoque anno Junoni velum pertexerent. Meurſius in *Græcia feriat.* lib. III. voc. Ἥραια p. m. 782. E.

(*c*) Ariſtophanes *in equit.* vſ. 508.

(*d*) Plutarchus *in Demetrio.* ὁ μὲν γὰρ πέπλος &c.

(*e*) De quo loco eleganter Meurſius *in Atticis Lectionibus* lib. VI. cap. XVIII.

(*f*) Pol-

(*f*) Pollux *Onom.* lib. VII. p XIII.

(*g*) De his ita Laurentius *in Variis gentil. ſacris* cap. x. p. m. 187. A. *Ramum oleæ geſtabant Athenis in* Panathenæis, *qui dicebantur θαλλοφόροι: erant ii plerumque ſenes, inde per jocum θαλλοιφόροι illi dicti, qui veluti inutiles ad ſua munera obeunda putantur.* Hoc in ſenes dicterium Grammatici ex illis Ariſtophanes *in Veſpis* v. 448. hauſere:

Οὐ κέτι πρεσβυτῶν ὄχλος
Χρήσιμος ἐς' ἐδ' ἀκαρῆ.
Σκωπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν
Ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλοφόροι καλύμεθ'

Sed non immerito in illos invehitur Meurſius *in* P*anathenæis* cap. XX. Summi Viri Xenophontis teſtimonio innixus, qui ſenes ſuis ſcommatibus Comici autoritate vellicant, maſcula quippe & propria ſenibus dignitas ipſam florentis ætatis laudem quandoquidem adoleſcentibus præripit. Cæterum de voce thalli vide Kippingium A*ntiquit. Romanar.* lib. I. cap. XI. n. XIX.

(*h*) Quod ex Xenophonte *in Convivio* probat Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* voc. **Παναθήναια** p. m. 687. E. & Jonſtonus c. tr. Part. II. cap. II. n. XIII.

(*i*) Ergo Thucydides lib. VI. *Sola* P*anathenæorum die non eſſe ſuſpectum ait, ſi frequentes cives armiſque culti adſint.*

(*k*) Æ-

(*k*) Ælianus *Variar. Hiſtor.* lib. VI. c. I.

(*l*) Heſychius voc. Κανηφόροι, ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν. ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Caniſtra ferentes in pompis virgines, quæ præſtantes dignitate caniſtra ferebant quemadmodum & in* P*anathenais.* Hoc quoque aliis in ſacris obſervatum. Vid. Catullum *de nuptiis Peliæ & Thetid.* vſ. 257. 258. Valerium Flaccum *Argonautic.* lib. II. vſ. 267. Ariſtophanem *in Acharn.* vſ. 239. 240.

> Εὐφημεῖτ' εὐφημεῖτε
> Προΐθ' ὡς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος

& paulo poſt:

> Κατάθου τὸ κανοῦν ὦ θύγατερ, ἵν' ἀπαρ-
> ξώμεθα.

> *Ore favete, Ore favete,*
> *Procede anterius paulo quæ ciſtam habes,*
> *Depone ciſtam filia ut primitias perſolva-*
> *mus.*

Scripſit de Canephoris apud antiquos Menander in libro, quem dixit Κανήφορον teſte Meurſio *in biblioth. Attic.* lib. IV. p. 1557. C. & ipſe Meurſius in *Cecropia* cap. XXIII. quædam adduxit.

(*m*) Meurſius *de* P*anathenais* cap. XXIV.

(*n*) Meurſius cit. l. cap. XXIV. & Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. II. n. XXI.

V I I.

V I I.

Sequuntur *Hephæſtiæa*, quæ Vulcani ſacra erant, igne ac facibus idcirco forſitan culti, quod ipſe eſſet ignis. (*a*) Lampadum fuiſſe certamen jam antea monui & hic ſuo loco moneo. (*b*) Summæ apud Athenienſes antiquitatis fuiſſe nemini dubium. (*c*) Nec tamen eorum nomen ab ipſo Vulcano, ſed Heroe quodam Athenienſium deſcendit. (*d*) Cura illorum apud Athenienſes Regi, Reginæ, nonnulliſque aliis Sacerdotibus, aliis Nobilioribus incumbebat. (*e*) Cæterum Hephæſtiæorum nomen non tantum ſacris competit, ſed populo etiam, quæ fuit tribus Acamantidis, (*f*) inſulæque Hephæſtiæ Melitam inter & Gaulum ſitæ, quæ Latine Vulcania & a Scylace LAMPAS vocantur. (*g*) Romanis quoque ſacra Vulcanalia innotuiſſe conſtat, in quibus nihil fere

fere actum videas, quam ut igne Deum ignis colerent. (*h*) Pro avertendo urbis incendio in illis Romani ſupplicare ſoliti, (*i*) quod ſæpius Romam & cum Roma Rempublicam univerſam afflixit.

NOTÆ.

(*a*) Vulcanum veteres ex aëre natum cæteriſque Diis arma fabricantem fingunt, quia extenuatus aër in ignem convertitur, & calor eſt omnium naturæ operum artifex. Ita Venerius *de Oracul. & Divin. Antiq.* cap. x.

(*b*) Minervæ & Vulcani ſacris id commune, ut Lampades adhiberentur eodemque templo colerentur. Vid. Meurſium *in Athenis Attic.* lib. I. cap. IV. Paucula de Hephæſtiis habet Meurſius *in Græc. feriat.* lib. III. p. 768. C. paullo plenius *d. tr.* lib. v. circ. init. rem proſequitur. Caſtellanus plane omiſit, forſan ut quæ inter reliquos minus eſſent celebria, nec materiam illuſtrant, quæ habet Faſoldus *de Feſtis Græcor. Decad.* IX. Feſt. I.

(*c*) Loquar cum Sigonio *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. IV.

(*d*) Docet Heſychius: Ἡφαίστιος ἥρως τὶς Ἀθηναῖος, ἀφ᾽ οὗ καὶ δῆμος Ἡφαιστιάδαι. *Hephæſtius Heros quidam Athenienſis, a quo etiam populus*

pulus Hephæſtiadæ. Hanc etiam ſententiam Meurſius amplectitur. At Sigonius *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. II. circ. init. tribum Hephæſtiadem ab ipſo Vulcano dictam putat, ſed errare illum exiſtimo, nec enim alicujus autoris aut Hiſtorici autoritatem adduxit.

(*e*) Sigonius *de Republ. Athenienſ.* lib. IV. cap. VII.

(*f*) Hujus quoque populi nomen a fano τοῦ Ἡφαίϛου, quod apud illos erat, fluere exiſtimo. vid. Meurſium *de popul. Attic.* voc. Ἡφαιϛιάδαι & Sigonium *cit. tr.* lib. II. cap. II.

(*g*) Niederſtet *in Melita Vetere & nova* lib. I. cap. I. & IX. Cluverius *in Sicil. antiqua* lib. II. cap. XVI. *inter Melitam*, inquit, *& Gaulum parva quædam inſula jacet, vulgari vocabulo Comino dicta. Antiquum ejus nomen fuiſſe videtur Hephæſtia, id eſt, ſi Latine reddas, Vulcania, quæ a Scylace lampas vocata.*

(*h*) Hæc ſacra fiebant die Aprilis vigeſimo tertio, ut refert Varro *de LL.* lib. V. conf. Perionius *de Græc. & Romanor. Magiſtrat.* lib. III. p. 2812. F. idem p. 2814. A. In fragmento quodam faſtorum, Sextilem inueniſſe ſe ait, quo die Vulcano ſacra facta. Sed hujus fragmenti autoritate non moveor.

(*i*) Gruterus *in Volum. Inſcript.* p. 61.
HÆC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIPPORUM. CLAUSA. VE-

VERUBUS. ET. ARA. QUÆ. EST. INFERIUS. DEDICATA. EST. EX VOTO. SUSCEPTO. QUOD. DIU. ERAT. NEGLECTUM. NEC. REDDITUM. INCENDIORUM. ARCENDORUM. CAUSA. QUANDO. URBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBUS. ET. HAC. DEGE. DEDICATA. EST. NE. CUI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS. ÆDIFICIUM. EXSTRUERE. MANERE. NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE. ALIUDVE. QUID. SERERE. ET. UT. PRÆTOR. CUI. HÆC. REGIO. SORTI. OBVENERIT. LITATURUM. SE. SCIAT. ALIUS. VE. QUIS. MAGISTRATUS. VOLCANALIBUS. X. KAL. SEPT. OMNIBUS. ANNIS. VITOLO. ROBIO. ET. VERRE.

VIII.

Tertium certamen lampadum Promothea fuerunt. (*a*) Prometheo, qui Apollonio Δαδȣ̃χος ipſe appellatur, (*b*) in Academia vel Ceramico Athenienſes aram dedicabant, a qua homines in urbem *accenſas faces* præferentes decurrebant.

bant. (*c*) Et in fano Minervæ, quod fuit in Ceramico, baſis vetus conſpiciebatur, ſuper quam poſitus Prometheus & Vulcanus, ille ſenior, hic adoleſcens. (*d*) Mihi præſertim lampadibus videtur cultus Prometheus, quo in mentem revocarent hominibus grande illud & plane divinum facinus, cum ignis uſum mortales docuerat. (*e*) Athenis erant, qui curabant ut rite ſacra ejus fierent, Rex etenim myſteriis Eleuſiniis, ſacris Lenæis, item Minervæ, Jovis, Apollinis, Vulcani, Promethei præerat. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) *Scholiaſtes* Ariſtophanes *ad Ranas*: ὁ τῆς λαμπάδος δὲ ἀγὼν τρίτον δὲ Ἀθήνησιν ἤγετο, κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια. *Faces vero Agon tertio Athenis celebrabatur per Promethea, Vulcanalia, Panathenæa. conf.* Faſoldus *de Feſt. Græcor. Dec.* IX. *Feſt.* 11. n. 1. 2.

(*b*) Apud Philoſtratum *in vita Apollonii*. Ἰὼ Προμηθεῦ δᾳδοῦχε, καὶ πυρφόρε, ἀϊὼ ςυτὸ

τῦτὸ δῶρον ὑβρίζεται. *Jo Prometheu, facitenens & ignifer, quomodo tuam domum contumelia afficitur*, vid. Meurſium *in Græcia feriat.* lib. v. p. 841. C.

(*c*) Legi poſſunt de hoc lampadum certamine van Dalen *Diſſ. de Concil. Amphyction. cap.* v. *circ. fin.* Meurſius *de Ceramico gemino cap.* xxv. *idem de popul.* Attic. *voc.* Κεράμεικος. p. 721. D. E. & Petrus Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* voc. Λαμπαδοφόριαι p. 681 B. C. Apponam ego Pauſaniæ *in Atticis* verba. Ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ ἐστι Προμηθέως βωμὸς, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην, ἐστιν. ἀποσβεσθείσης δὲ οὐδὲν ἐστι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δ' ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστιν ὁ κρατῶν. Ἐν δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβέσθειη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *In Academia* Promethei *ara eſt, a qua homines in urbem accenſas lampades præferentes* decurrunt. *In eo enim certamen eſt, ut accenſæ in curſu conſerventur. Cujus enim fax exſtincta fuerit, it victoria ſucceſſori cedit: eademque ratione ille tertio. Quod ſi nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur.*

(*d*) Meurſio *de Ceramic. gemin.* cap. xxv.

(*e*) Gronovius *Antiquit.* Tom. x. p. 726. F. Adde Farnabii *ad Ovidii Metamorph.* I. vſ. 363. notata. Plurima ſunt, quæ Farnabia gen-

gentiles accepta referunt. Sic illum *ἀνθρωποποιοῦντα* fingunt, de quo vide multis Rhodiginum *Antiquar. Lection.* lib. VII. cap. XIX. Sic Japeti filium nepotem Titanis fingunt, unde Juvenalis *Satyr.* XIV.

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Romani quoque lacum in prima urbis regione ſacrum ei eſſe voluerunt. vid. Grævium *Antiq. Tom.* VII. p. 1779. A.

(*f*) Emmius *de Rebus Græcis Tom.* III. *de Republ. Athenienſ.* p. 438. B.

CAPUT SEPTIMUM.

De Cultu ac Uſu Luminum in reliquis Gentilium ſacris, Theſmophoriis, Lernæis, Sacris Minervæ, Dianæ, Panis, Bacchi, Saturni, Veſtæ, inque Oraculorum antris, Luſtrationibus, Conſecrationibus, Auguriis.

§. I.

SUperſunt dies Feſti alii complures, quæ tam Græci, quam

Romani accenſis luminibus celebrarunt. De Theſmophoriis die XVII. Kal. Nov. in Athenarum urbe habitis, (*a*) primum ſermo inſtituendus. Theſmophoria magni apud Græcos nominis fuiſſe conſtat. (*b*) Cereri ſacra inque luctus illius memoriam inſtituta, unde eadem cum Orcinis nuptiis videntur nonnullis. (*c*) Græcos non ſolum Cereris moerorem his diebus ad animum revocaſſe, verum etiam Ægyptiorum mulieres diebus Theſmophoriorum cibo abſtinuiſſe luctumque Cereris imitatas lego. (*d*) Interim tamen a lugentibus illa fieri nefas, (*e*) quod etiam de Eleuſiniis prædicant antiqui. De origine illorum non eſt una eademque Doctorum Virorum ſententia. (*) Theſmophoria inſtituta alii ab Orpheo putant: (*f*) aliis Triptolemus magis placet, qui fuit Rex Athenienſium, hiſque dedit leges,

(*g*) &

(*g*) & omnium primus, quod laudi eſſe veteres volunt, frumentum ſerere docuit. (*h*) Alii denique illorum natales ad filias Danai referunt, qui ex Ægypto Græciam venientes Pelaſgorum fœminis hunc Deæ cultum tradiderint. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) Junius *Faſtor. lib. ad diem* xv. *Octobr.*

(*b*) Declaravit Lazius *in Græc. Antiq.* lib. II. cap. I. & Meurſius *in Lection. Atticis lib.* IV. cap. XXI. conf. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. III. n. VII.

(*c*) Pfeifferus *Antiquit. Græcor.* lib. I. cap. XXIX.

(*d*) Laurentius *de Prand. & Cœna Veter.* cap. XXII.

(*e*) Hac de cauſa Democritus ſummus apud Græcos Philoſophus mori ſe in iis noluit, ne lugubris querela ſacris Cereris derogaret, autore Caſtellano *in vitis Veter. ac Illuſtr. Medicor.* p. m. 868. E. Pluribus refert Laertius lib. IX. *in Democrito.* Fuit autem decimus ſextus Panepſionis dies, quam ſeveriſſimam τὴν σκυθρωποτάτην egerunt. Scripſit Plutarchus *in Demoſthene*: κατέστρεψε δὲ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα Πυανεψιῶνος μη-

 νὸς

νὸς ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην τῶν Θεσμοφορίων ἄγουσαι παρὰ τῇ Θεῷ νιστεύουσιν αἱ γυναῖκες. Mortuus eſt ſexta decima Panepſionis menſis, in qua ſeveriſſimam Theſmophoriorum diem agentes fœminæ jejunant apud Deam.

(*) Autor *de l'Explic. Hiſtorique de la Fable de Ceres.* p. 75. Ubi recte monet, quod Cereri leges ferenti ſacra fuerint Theſmophoria, oſtendi ſupra libri principio; quamvis nec ſolius Cereris fuerit nomen proprium. Bacchum quippe Orpheus leges ferentem *θεσμοφόρον* apud Nicolaum *de Ritu Bacchanal.* cap. VI. fin. appellat. Nec fallitur quod Theſmophoria alia quam ipſa Eleuſinia eſſe exiſtimet, utrumque tamen miſcere videtur Arnobius *contra gentes* lib. V. qui eam originem Theſmophoriorum refert, qualis fuit Eleuſiniorum, nec non Lazius in *Græc. Antiq.* lib. II. cap. I. & Sigonius *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. IV. his verbis: *Theſmophoria, quæ & myſteria & initia dicta ſunt, ab Erechtheo Rege, ut in Eleuſine fierent, ſancta ſunt, quorum originem Arnobius diligenter eſt perſequutus.*

(*f*) Theodoretus *Therapeut.* I. vid. Meurſium *in Græcia feriat.* lib. IV. p. 791. F. & *in Atticis Lectionibus* lib. IV. cap. XXI.

(*g*) Gronovius *Antiquit.* Tom. V. p. 1590. C.

(*h*) Gronovius d. l. Tom. II. n. XVII. Meurſius in *Atticis Lection.* lib. IV. cap. XXI.

(*i*) He-

(*i*) Herodotus. *lib.* II. Origo Theſmophoriorum, uti non una Scriptorum voce ac fide refertur, ita quoque ipſa ſacra aliter ab aliis celebrata fuerunt. Sic Lacedæmoniis triduana. Heſychius: τριήμερης. Θεσμοφόρια ὑπὸ λακώνων. Drymeæ apud Phocenſes annua fuerunt, & ipſis Thebanis ſacra, quod ex aliis declaravit Meurſius *Græc. feriat.* lib. IV. p. 792. D. Celebrato in urbe Mileto (Laertius lib. IX. *in Democrito.*) Syracuſis, ubi teſte Athenæo lib. XIV. ultimo ſolennium tempore muliebre membrum e melle & ſeſamo confectum circumferri ſolet, nec tamen divino honore cultum, quod imperite aſſerit Theodoretus *Therapeut.* lib. III. & conf. Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Dec. XII. Feſt. I. §. VIII. Sed potius a graviſſimis ſacra Matronis peracta. Megarenſes, cum Theſmophoria illucebant, porcos expellebant. Meurſius cit. lib. IV. p. 798. C. In Eretria, quæ fuit urbs Eubœæ inſulæ, mulieres, quæ ſacris Theſmophoriis intererant, carnes, quas comederent, non igne facto, ſed ad ſolem torrebant. Meurſius. d. l. p. 799. D.

I I.

Pauca ſunt, quæ de Græcorum, ſi ab Athenienſibus diſceſſeris, in Theſmophoriis celebrandis ritu afferri poſſunt. De ritibus Athenienſium ſacris, qui Res ſuas Geſtas Religionemque multorum præconum voce ad poſteros transmiſerunt, non pauca ſuperſunt monumenta. Numerus dierum ſacris Theſmophoriis deſtinatorum incertus. (*a*) Mulieres præſertim & quidem caſtitatis vitæque ſpectatiſſimæ (*b*) his adfuiſſe ſacris leguntur, quæ ſi eſſent pauperiores, maritus pinguiori fortuna ſi eſſet, ſumptus pro illa facere tenebatur. His mulierculis ſacerdos proprius conſtitutus, quem dicebant Στεφανηφόρον, quod is ſacris obeundis coronas capiti imponeret. (*c*) Panepſionis menſis die undecima aſcendebant, quæ idcirco

idcirco Ἄνοδος dici ſolita, Eleuſinemque contendebant, ubi non ſecus ac Eleuſinia ſacra celebrata Theſmophoria. (*d*) Tum capiti libros legales imponebant, ne unquam tantæ rei memoria efflueret, cum Ceres leges univerſo Orbi incrementum allaturas condidiſſet; (*e*) forſitan, quoniam leges omnem e Republica ſentinam, libidines ſceleraque volunt projecta, non niſi caſtis & a venere abſtinentibus mulieribus ea ſacra obire licuit. (*f*) Quamvis autem Matronæ graviſſimæ rem divinam in Theſmophoriis ſacerent, tamen illic convitia uſitata in memoriam Jambes, quæ convitiis moeſtiſſimam Cererem ad riſum concitavit: (*g*) & ſilentium quoque in his uti in Eleuſiniis ſervandum. (*h*) Demum *faces ardentes aut lumina prælata* quinto ſacrorum die. Incedebant cum facibus accenſis noctu tam viri quam fœminæ

minæ errantis Cereris ſpecie, unde λαμπάδες ἀκταὶ Sophocli dicuntur. Dedicabant eaſdem Deæ de facum magnitudine certantes, (*i*) ipſis alioquin viris iis interdictum, (*k*) adeoque vix alii ritus his, quam ipſis Eleuſiniis adhibiti fuerunt.

NOTÆ.

(*a*) Quatuor dies ſacris præſtitutos refert Heſychius, qui in dubio Ariſtophanis autoritarem ſequitur, quem tamen corrigit hoc nomine, quod tertium diem medium fuiſſe aſſerat. Sed errat dum ipſe errare alium exiſtimat, annotante etiam Meurſio *in Græcia feriat.* lib. IV. p. 793. B. C.

(*b*) Teſtis Meurſius *in Lection Attic.* lib. IV. cap. XXI. appona, quæ *Scholiaſtes* Theocriti *ad Idyll* IV. annotavit: Νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια. καὶ παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναὶ, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς. *Lex erat Athenienſibus, celebrare Theſmophoria quotannis & virgines fœminæ & vita graves in die ſacri.*

(*c*) Inſcriptio apud Gruterum *in Volum. inſcript.* p. 1117.

(*d*) Indicat Ælianus Tacticus *Poliorc.* cap. V. his

his verbis: Πισιςράτῳ γὰρ Ἀθηναίων ϛρατηγοῦντι ἐξηγγέλθη, ὅτε οἱ ἐκ Μεγάρων οἱ ἐπιχειροῖεν, ἀφικόμενοι πλοίοις ἐπιθέσθαι νυκτὸς ταῖς Ἀθηναίων γυναιξὶ, Θεσμοφόρια ἀγούσαις ἐν Ἐλευσῖνι. *Piſtrato enim Athenienſium duci nunciatum fuit, Megarenſes illi inſidiari, profectos navibus invadere nocte Athenienſium uxores Theſmophoria celebrantes Eleuſine.* Gronovius *Antiquitat.* Tom. v. p. 1878. D.

(*e*) Vid. *Scholiaſten* Theocriti *ad Idyll.* IV.

(*f*) Sed ne quis adeo caſtas mulieres exiſtimet, appono, quæ *Theano* illa Pythagorica dixiſſe fertur. Scripſit Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. IV. in hæc verba: τῆς αὐτῆς φέρεται σεμνότητος κἀκεῖνο τὸ ἀπόφθεγμα ἐρωτηθεῖσα γὰρ, (ἡ Θεανὼ) ποσταία γυνὴ ἀπὸ ἀνδρὸς εἰς τὸ Θεσμοφόριον κάτεισιν; ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου καὶ παραχρῆμα, ἔφη. ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου οὐδεπώποτε. *Ejuſdem gravitatis memoratur hoc dictum. Nam rogata (Theano) quo temporis intervallo mulier a viro proficiſcitur ad Cereris templum? a proprio quidem vel ſtatim dixit, ab alieno autem omnino nunquam. Theodoreti* verba refert Caſtellanus *de Feſt. Græcor.* p. 673. C. Triduum tamen, ut omittam illa, caſtitati & purificationi mulieres inſumſerunt. Meurſius *in Lection. Attic.* lib. IV. cap. XXI. & *in Græc. feriat.* lib. IV. p. 798. B. Id negotium, quo facilius redderetur, ſubſterne-

 bant

bant ſibi ſalicis aut viticis folia, ac iiſdem tanquam cubili incumbebant. Plinius *Hiſtor.* lib. XXIV. cap. IX. Dioſcorides lib. I. cap. XXVI. & Feithius *in Antiquit. Homer.* lib. III. cap. VIII. fin. Salix enim eſt, ut refert Ælianus *in Hiſtor. animal.* lib. IX. cap. XXVI. Ἀφροδιτίυ κώλυμα. Reliqua, quibus ad extinguendum libidinem uterentur, refert Caſtellanus *de Feſtis Græc.* p. 673. C. D. & Gronovius *Antiquit. Tom.* V. p. 1878. E.

(*g*) Vid. Apollodorum *Biblioth.* lib. I.

(*h*) Caſtellanus c. l. p. 674. A. Eo factum crediderim, ut ſervos & ancillas procul eſſe juberent, metuentes, ne aliquid effutirent. Ranis enim ancillæ loquaciores & cribris potius arceri aquam, quam occultari eorum ingeniis arcana videas. Meurſius *in Græc. feriat.* lib. IV. p. 800. E. Faſoldus *de Feſt. Græcor. Decad.* XII. Feſt. I. n. IV. Canit Ariſtophanes *in Theſmophor.* vſ. 262. 263.

- - - - σὺ δὲ ἄπιθ' ὦ Θρᾶττα ἐκποδών.
Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεσ' ἀκούειν τῶν λόγων.

- - - - *Tu vero Threſſa abi confeſtim,*
Servis enim non licet audire ſermones.

(*i*) Faces ardentes prælatas, docet Caſtellanus *cit. tr.* p. 674. A. & Ariſtophanes in Θεσμοφοριαζούσαις ut ait Caſtellanus, vel potius *in Ranis.* Ubi enim illæ Theſmophoria-

riazuſæ? equidem non ſum neſcius, plures Ariſtophanem de Theſmophoriis Comœdias condidiſſe, e quibus, ſi ad noſtram ætatem perveniſſent, ampliorem cognitionem haurire poſſes, uti ſcriptum reliquit Meurſius *in Bibliothec. Attica.* lib. I. p. m. 1442. Sed cum deperditis inhærere abſonum ſit, his veſtigiis, quæ de accenſis facibus in Ariſtophanis Ranis extant, res potius declaranda & illuſtranda. Conf. Jonſtonus *de Feſt. Græc. Part.* II. cap. III. n. XVIII. ſub Theſmophoriis.

(*k*) Teſtis ille Mneſilochus, qui habitum, mentibus, Theſmophoria celebrantes mulieres adſpexit, eoque nomine ab his ad ſupplicium depoſcitur apud Ariſtophanem in *Θεσμοφοριαζούσαις*, vel *Ranis* potius vſ. 1169. ſqq.

Ἥκετ' εὔφρονες, ἵλαοι,
Πότνιαι ἄλσος ἐς ὑμέτερον,
Οὗ δὴ ἀνδράσιν οὐ
Θεμιτὸν εἰσορᾶν
Ὄργια σέμνα θεαῖν.

Venite lætæ, propitiæ,
Venerandæ in lucum veſtrum,
Cujus quidem viris non
Eſt fas intueri
Sacra Veneranda Deorum.

III.

Hæc ſunt majora Cereris ſacra, accenſis luminibus celebrata. Superſunt Lernæa in honorem Cereris agitata, celebrataque igne accenſo, quem antiquitus ad ea deportabant Argivi e Dianæ Pyroniæ fano, quod in monte Cratide fuiſſe legitur. (*a*)

NOTÆ.

(*a*) Teſtis Pauſanias *in Achaicis*. Meurſius *in Græc. feriat*. lib. v. voc. *Λέρναια* & Jonſtonus *de Feſtis Græcor. Part*. II. cap. III. n. x. Pauſanias *in Corinthiacis* quoque ſcriptum reliquit: *ἡ δὲ λέρνα ἐστιν ὡς καὶ τὰ πρότερα ἔχει μοι τοῦ λόγου, πρὸς θαλάσσῃ. καὶ τελετὴν λέρναια ἄγουσιν ἐν ταῦθα δήμητρι.* Lerna alias palus olim fuit in Argia, cum ejuſdem nominis Oppido Laconiæ adque mare mediterraneum ſito, cujus meminit Mela apud Gerbelium *in Græc. Antiq*. p. 51. E. Emmius *Rer. Græcar*. Tom. I. lib. II. p. 105. B. Meurſius *in Miſcellan. Laconic*. lib. IV. cap. VII.

I V.

Jam ſe ad manus dant ſacra *Minervæ*, *Dianæ*, *Panis*, *Bacchi*, *Saturni*, *veſtæ*. *Oracula*, *Luſtrationes Expiationeſque*, *Conſecrationes*, *Auguria Gentilium* accenſis facibus ac luminibus celebrata. Templa, aræ, delubra omnis antiquitatis cereis illuſtria. Accenſæ in templis lucernæ ac diſpoſitæ ardentes (*a*) Penſiles lychnuchi in templis, ad aras inque antris. (*b*) Apertis mane delubris tædæ ac faces accenſæ; factæque vigiliæ matutinæ. Noctu fores obſeratæ, ac ſi tenebris peragi ſacra nefas. Nec tamen id ſingulis noctibus factum, quædam enim precibus ſacræ. Vatibus ipſis prælatus ignis; (*c*) inque aris vialibus (tales ſtatuebant) ignes ſuccenſos in ſuo Laocoonte *Sophocles* ſcriptum reliquit, quem tamen ævum & iniqua dies abſtulit. (*d*)

Non deſunt, qualis eſt Lactantius, qui Paganorum dementiam rideant, & lumina perſtringerent, ipſosque Deos exſibilarent, quos pagani lampadum in ſacris ſtudioſiſſimi, tanquam lucis indigentes intuerentur. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Vide Lipſium *Electorum* lib. I. cap. III. Canit Juvenalis *Satyra* XII.

> *Cuncta nitent, longos erexit janua ramos*
> *Et matutinis operatur feſta lucernis.*

& Perſius Satyra V.

> *Herodis venere dies, unctaque feneſtra*
> *Diſpoſitæ nebulam pinguem vomuere lucernæ*
> *Portantes violas.*

Autor Cereorum accendendorum quinam fuerit exponit Grævius *Antiquit. Tom.* XII. p. 997. C.

(*b*) Vide Plilium *Hiſtor.* lib. XXXIV. cap. III. & Spanhemium *de Veſta & Prytanib. Græcor.* apud Grævium l. c. Tom. V. p. 678. A. Confer. Donatus *de Urbe Roma* lib. III. cap. III. Grævius Tom. III. p. 655 A.

(*c*) Id-

(*c*) Idcirco Seneca *de Vita beata* cap. XXVII. *cum laurum*, inquit, *linteatus ſenex & lucernam medio die præferens conclamat, iratum aliquem Deorum, concurritis & auditis, & divinum eſſe eum, invicem mutuum alentes ſtuporem adfirmatis.* Alii fuere illi πυρφόροι apud Suidam; πυρφόρους ἔλεγον ἱερέας τοὺς ἐπιβώμιον πῦρ ἀναπτόντας. Vide Bulengerum *de Sortibus* lib. I. cap. III.

(*d*) Hanc, quæ ſupereſt deperditi ſcripti famam acceptam refero Meurſio *in Sophocle* lib. II. voc. Λαοκοων. *in fin.* de more antiquiſſimo, ad aras cereos appendendi, vide Laurentium in *Variis gentil. Sacr.* cap. II.

(*e*) Teſtis Laurentius *cit. loc.* cap. X. & Lipſius *Electorum* lib. II. cap. XVIII. p. m. 329. Locus *Lactantii* habetur libro ſexto.

V.

Minervam accenſa Panathenæorum diebus feſtis lampadum maxima vi colebant Græci & Athenienſes, urbis ſuæ nomini conſulentes. Nihil ominus Agraule (*a*) Cecropis filia, qui primus condidiſſe fertur arcem Athenarum celeberrimam, culta luminibus in Agrauliis, quæ in ejus ho-

norem inſtituta. (*b*) Iniquum videbatur, ſi illa γλαυκῶπις Ἀθήνη, quæ præeſſe arci fingitur, omnem præriperet honorem natæ Cecropis, a quo nomen & dignitas Athenienſibus tradita. Atque huic ipſi Palladi, ne quid magno ejus nomini deeſſet, in arce Athenarum die noctuque ſacrata, & ardens, (*c*) quæ demum ſub tyranno Ariſtone exſtincta eſt. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Agraule omni religione culta Athenienſibus, cujus nomen teſtabantur, quando in bellum exirent. Dixi alibi, nunc de ea dixiſſe abunde exiſtimo, ſi ad Meurſium *in Lection. Attic.* lib. II. cap. XIII. *& in Græc. feriata* lib. I. p. 705. B. & p. 864. provocaverim. Plynteriorum præſertim feſto ejus Numini honorem teſtari voluerunt, autore Falconerio *ad inſcript. Athlet.* p. 2305. D.

(*b*) De Agrauliis Jonſtonus *de Feſtis Græcorum* Part. II. cap. VI. n. III.

(*c*) Vid. Græviüm *Antiquit.* Tom. V. p. 678. B. C. Eaque lucerna, ut memorat Pauſanias lib. I. p. 48. ex inextinguibili Carpaſio lino ſervabatur.

(*d*) Plutarchus *in Numa.*

V I.

V I.

Progredior ad Dianæ ſacra luminibus culta, quam Lunam & noctis lumen antiqui dixerunt. (*a*) Ceres uti ſolebat pingi *utraque manu facem tenens*, ita quoque Dianam *capite flammis effulgente* exprimunt, quas ei additas crediderim, poſtquam incendiis fœde abſumptum ſplendidiſſimumque Epheſi templum Civium enixa opera majori quoque ornatu fuit inſtructum & redditum Deæ. (*b*) Hujus Dianæ nomini dedicata celeberrima illa Epheſia, quæ in foro Epheſino, adfluente hominum turba, collucentibus facibus celebrata ſunt. (*c*) Atque illo inprimis ab Epheſiis habito honore inclaruit Diana, cui ſe totos urbemque ſuam tunc temporis omnium longe clariſſimam Epheſii devovebant. (*d*) Nec ea, qui antiquitatis non adeo expers, mirabi-

rabitur. Dianæ honor ac cultus adeo frequens, ut teſte *Pauſania* libro quarto illam propemodum uno nomine omnes colerent urbes, & viri quoque præ omnibus cæteris Diis illam honore proſequerentur. Fuere, qui ſe antiquis temporibus Dianæ dicarent, & pro Νεωκόροις illius gererent, urbemque ſuam Νεωκόρον Dianæ appellarent. (*e*) Quid ergo mirum inde tot ſacra, ac dies feſtos, quibus illam extulerunt, nata? Facta ei ſacra a virginibus antequam eſſent viripotentes. Dicata illi Brauronia, e quibus facile omnem Dianæ honorem metiaris. (*f*) Nihil nunc dicam de Artemiſiis, de quibus Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. II. Feſt. III. Julius Pollux *Onom.* lib. I. cap. I. Athenæus *Dipnoſ.* lib. VII. & XII Livius *Hiſtor.* lib. XXV. Meurſius *in Græc. feriat.* lib. I. voc. Ἀρτεμίσια dixere. Nihil de reliquis diebus feſtis afferam, quos

quos ad viginti duo fuiſſe refert & enarrat Jonſtonus *de Feſtis Græcor.* Part. II. cap. IV. Ipſe ſummus Alexander in ejus Deæ honorem ludos magnifice fecit & cum univerſo, qui aderat, exercitu in armis decurrit, teſte Freinshemio *in ſupplementis Curtianis* lib. II. cap. VII. §. IX. & Crophio *in Antiquit. Macedon.* lib. II. cap. I.

N O T Æ.

(*a*) Velo pingi ſolet Diana, quo tenebras noctis adumbrare voluerunt. Hunc autem Dianæ velandæ ritum non apud Epheſios tantum fuiſſe receptum, verum etiam Ægienſes docet Pauſanias *in Achaicis*. Loquitur Pauſanias de Lucinæ templo, Diana autem non eſt alia quam ipſa Lucina: faces certe utrique fuere communes. Quid ergo eo nomine ſignificant? Exponit Menetreius *in Diana Epheſia Statua* p. 371. E. *Diana ipſa*, inquit, *ſeu mavis, Luna, lumine ſuo ac ſplendore tanquam face ardente opaca & caliginoſa lucida & conſpicua reddit. Hujus quoque rei gratia, quod noctu & in tenebris luceat & incedat, noctiluca & noctivaga vocitata. Merito igitur velum tanquam obſcuritatis a ſe depulſa indicium a tergo demiſſum.* Nihil ergo

ergo Dianæ cultui magis proprium quam accenſa lumina credunt.

(*b*) Hæc Strabo *Geogr.* lib. XIV. Euſtathius *in Dionyſium*, Solinus *in Polyhiſtore cap.* XLIII. Sic Mutius ille Scevola huncin modum pictus, quem hoſtium inter turmas in dubio dextram immittentem rogo conſpicimus. Ipſis Epheſiis, quod ſcribit Athenæus lib. VIII. p. 361. Sus ſtramentorum flammis excitatus condendæ urbis locum oſtendit. Capiti Dianæ addita duo candelabra turrito & inſtar Cybeles velato. Gronovius *in Marmor. Baſi Coloſſ. Tiber. Cæſar. erect.* p. m. 493. C. & E. Alioquin, ut de hoc obiter moneam, Dianam pingunt coma religata in coronam, tenentem arcus & ſagittas, quibus inſigne venandi ſtudium exprimunt. Talis habetur apud Gorlæum *in Promptuar. Annulor.* n. CXLIII. & *in Theſaur. Numiſm. Romanor.* Tab. XIX. n. III. & IV.

(*c*) Dixi ſupra cap. IV. §. VII. de facibus accenſis. Locus Angeli Politiani *in Miſcellan.* cap. LI. adeundus eſt.

(*d*) Epheſus omnino, uti vult Stephanus Joniæ quondam fuit urbs clariſſima: Lydiæ, ut tradit Herodotus; Plinio quoque lumen Aſiæ dicta & Menetreio *in Dianæ Epheſ. Stat.* p. 388. C. Locus Herodoti in lib. I. cap. CXLII. habetur. Tanta ejus gloria illuxit ævo Joſephi, ut *in Antiq. Judaic.* lib. XIV. cap. XVII. diceretur: πρωτεύουσα τῆς Ἀσίας.

'Αϛίας. Multa de ejus ad poſteritatem laudibus condidit Spanhemius *in Orbe Roman.* Diſſ. II. cap. XIV. p. 379. Inprimis templum illud Dianæ Epheſiæ ſummis laudibus tollunt Pomponius Mela lib. I. cap. XVI. Solinus *in Polyhiſt.* cap. XLIII. Herodotus lib. II. cap. CXLVIII. Plinius *Hiſtor.* lib. XXXVI. cap. XIX. & Holſtenius *in Dianæ Epheſinæ templi deſcriptione*, quam Menetreius *ſuæ Dianæ Epheſ. Stat.* pag. 389. 390. 391. inſerit. Mirum certe, quod parum conſtet, quæ fuerit tantæ urbis ac pene Orbis origo? Græcam fuiſſe civitatem, quam Androclus Codri filius condiderit, nomen ipſum urbis, nec non Strabo lib. XIV. & teſtimonium Gronovii *in Marmor. Baſi Coloſſ. Tiber. Cæſar. erect.* cap. XXIII. arguunt. Conditam alii dicunt ab Jonibus, Athenienſi populo, qui expulſi ab Achæis Peloponneſiacis terra Attica, Tiſameno duce, in littoralem Aſiam commigrarunt, civitateſque undecim conſtruxerunt, quas inter Epheſus fuiſſe dicitur. Lazius *in Græcia Antiq.* lib. II. cap. I. circ. init. Gerbelius *in Græc. Antiq.* p. 20. C. Meurſius *de Fortun. Attica* cap. VI. circ. init. Habitata olim Caribus & Lelegibus, poſt ab Amazonibus munita. Tum Athenienſes, cum civium multitudinem urbs Athenarum ferre non poſſet, coloniam miſere. Tum commerciis effloruit & portu omnino fuit commodo, quem poſt Attalus Rex, dum emendare conaretur, corrupit. Emmius *in Græc. Vet.*

ter,

ter. Tom. I. lib. VI. p. 146. A. & Tom. III. *de Republ. Athenienſ.* p. 437. Non ſequenti tempore hujus urbis imminuta dignitas fuit, quam ſecundo inter Græcos Chriſtianos epiſcopatu nobilitatam lego apud Meurſium *de Fortun. Attica.* cap. IX.

(*e*) De his multa congeſſit van Dalen *de Neocor. Urbib. & Neocor. Sacerdot.* cap. II.

(*f*) Cum enim Diana Brauronem vicum terris magis omnibus unum coluerit, teſte Gronovio *Antiq. Græcor.* Tom. VIII. p. 626. F. Merito Brauronenſes ſumma pietate illam ac cultu proſequi debuerunt. De ipſis ſacris vide Meurſium *de Popul. Attic.* voc. Βραύρων. *& in Græc. feriat.* lib. II. p. 745. voc. Βραυρώνια. Capram immolabant & Iliada Rhapſodi canebant. Peracta quinto quoque anno; ac ea fuit cura Decemvirorum, ut rite omnia & certo tempore fierent. Julius Pollux *Onom.* lib. IIX. cap. IX. Sect. XXXI. a Virginibus præſertim celebrata, indicat Herodotus lib. VI. *circ. fin.* Qui ibidem loci γυναῖκας dixit Virgines. Virgines eſſe nondum provecta ætate debebant. Non admittebantur, ſi quintum annum nondum attigiſſent, nec ſi ultra decem eſſent. Dicebatur Ἀρκτεία, quando initiaretur, quorſum etiam illud δεκατεύειν ſpectat. vid. Pollux *Onomaſt.* lib. V. cap. XII. Faſoldus *de Feſtis Græcor.* Dec. VI. Feſt. VI. §. 4. Gronovius *Antiquit. Græc.* Tom. IV. p. 702. E. Tom. VI. p. 3535. C.

V I I.

Romanorum inter dies feſtos, quibus pietatem Dianæ teſtabantur, eminent illi, quibus die Auguſti XIII. mulieres *Voti Damnatæ* ab urbe *faces ardentes* in Aricinum nemus, ubi Dea illa religioſe colebatur, portabant. (*a*) Sunt præterea, quæ fuſius hac de materia pertractari poſſint. Conditum *Dianæ Luciferæ* Templum Athenis. (*b*) Erectum prope Byzantium templum *Luciferæ Dianæ*, Dionyſius ſcriptum reliquit. (*c*) Præterea in portu Munychia extructa ara τῆς φωσφόρου, *Luciferæ*, cum benignior lux deploratis Athenienſium rebus affulſiſſet. (*d*) *Faces* quoque in Dianæ Munychiæ templo accenſæ, (*e*) quæ ab eo potiſſimum tempore inclaruit, quo ejecti triginta Tyranni Athenis duce Thraſybulo & paucis quæ ſe ſocios

de

defendendæ libertati addiderant. Demum ipſas *Lucernas* Dianæ dicatas reperio. Eutyches quidam Miletopolitarum Strategus *lucernam* Dianæ dedicabat, quam in ſuo muſeo veſtutis luce inextinctam fulgere ait Petrus Bellorius, *de ſepulcral. Antiquor. Lucern.* Tab. VIII. n. 1. Anſæ apicem habet recurvum in modum falcatæ lunæ cum titulo : ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕΣΙΩΝ ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΛΕΞΙΑΝΘΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Eutychem hunc Miletopolis urbis Strategum fuiſſe, indicat nummus Commodi II. ab Erizzo vulgatus, qui ab uno latere exhibet Imperatoris caput cum litteris: ΑΥ. ΚΑΙ. Α. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΜΟΔΟC. *Imperator. Cæſar. Lucius. Aurelius. Commodus.* Ab alio Mercurium ſaxo inſidentem cum caduceo; iiſdem Eutychis nominibus, in lucerna inciſis ac Strategi

tegi dignitatem referentibus: ΕΠΙ. CT. ΕΥΤΥΧΟΥC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Sub Stratego Eutyche Alexandri Miletopolitarum.* Sic vertendum ſane, haudquaquam cum Erizzo ipſo: ΕΥΤΥΧΟΥC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *Felicis Alexandri*, in quem errorem forte non incidiſſet accuratiſſimus Nummographus, ſi Strategi dignitas prioribus litteris patuiſſet.

NOTÆ.

(*a*) Propertius lib. II. *eleg.* XXXII.

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus & Triviæ lumina ferre Deæ.

Conf. Turnebus *Adverſarior.* lib. VIII. cap. XXVI. Laurentius *de Medic. & Balneis.* cap. I. Kippingius *Antiquit. Roman.* lib. I. cap. X. §. VI.

(*b*) In Phlyarum tribu, quæ fuit Athenienſium, duo templa condita, in quorum uno aræ Apollinis *Διονυσοδότου* & Dianæ *Σελασφόρου* *Luciferæ.* vid. Pauſaniam *in Atticis* & Meurſium *de Popul. Atticis* ſub *φλυα* p. 808. C.

L (*c*) De

(*c*) De hoc Dianæ Luciferæ & Veneris placidæ templo legi poteſt *Dionyſius* apud Gyllium *de Boſphoro Thracio* lib. II. cap. VII. De Diana Lucifera verſus quoque exſtant Callimachi apud Meurſium *in Miſcellan. Laconic.* lib. I. cap. II.

(*d*) Meurſius *de Celeberrim. Athenar. portu & ejus Antiquitat.* cap. IX.

(*e*) Hæc eſt illa Diana, cui in portu Munychia templum exſtructum & cognomentum τῆς μουνυχίας inditum fuit, unde Callimacho apud Meurſium *in Miſcellan. Lacon.* lib. I. cap. II. in fin. dicitur Πότνια μουνυχίη. Munychiam celeberrimum fuiſſe Athenarum portum novimus. Condidit Mynychus, de quo Suidas in voc. Πειραιεὺς memoriæ prodidit, quod Pantaclis fuerit filius. Conf. Gerbelium *in Sophian.* p. 26. F. Xenophontem *Hiſtor. Græc.* lib. II. p. 473. Meurſium *de Piræo* cap. IX. Eundem *de popul. Attic.* p. 760. A. Eundem in *Atticis Lectionib.* lib. I. cap. XIV. Græcis ſemper maximo in honore habita fuit Diana Munychia, ejuſque in Munychia templum, ut quoque ab illis menſem dicerent, uti eſt in antiquis ſcriptis, Μουνυχιὼν, qui cum noſtro Martio convenit. Gerbelius *in Sophianum.* p. 27. A. Laurembergius *in Græc. Antiq.* p. m. 24. A. Pfeifferus *in Antiquit. Græc.* lib. I. cap. XLI. Schottus de *Roman. & Attic. menſ. rat. ſub Martio.* p. m. 954. fin. Gronovius *Antiquit.* Tom. IX. p. 986. E. p. 995. B. p. 1036. C.

p. 1071.

p. 1071. C. p. 1086. B. p. 1099. A. Hoc eſt illud fanum, ubi Thraſybulum inter & triginta tyrannos, qui patriam oppreſſam habebant, pugna facta. Tyranni viam, quæ ad Dianæ Munychiæ fanum ducit, complebant, illi qui e Phyla exierant, cum Thraſybulo viam ex adverſo complebant. Victi tyranni, Patriæque, dum in exilium proficiſcuntur, libertatem reddiderunt. Emmius *Rer. Græcar. Tom.* II. *ex Xenophonte lib.* II. p. 363. B. Illuc fugiebant quicunque ex Trierarchis inique tractabantur, aut nautæ, aut quidam, de quibus inquirebatur Pireæi, verbis utor Ulpiani, qualia ſunt apud Meurſium *in Lection. Attic* lib. I. cap. XIV. Ipſa Munychia fuit tumulus, peninſulæ forma, cavus & magna ex parte cuniculis ſubrutus, cum natura, tum induſtria, ita ut habitationes recipiat; intraturque per anguſtas fauces. Ille qui condidit eam Munychus Pantaclis filius, non confundendus cum illo Munycho, qui ὁ δρύαντος dictus & apud Mo- loſſos rerum potitus fuit. Meurſius cit. cap. XIV. Hæc ſunt, quæ de Diana Munychia ejuſque fano monitum te velim, ja m de facibus in hoc templo accenſis. P lacentæ ἀμφιφῶντες Mynychiones menſis die decima ſexta parabantur, & faculæ accenſæ in illis defixæ, oblatæque hoc modo Dianæ. vid. Suidas *voc.* Ἀνάστατοι. & cum Jonſtono *de Feſt. Græcor. Part.* II. cap. IV. n. XI.

 Fa-

Faſoldus *de Feſtis Græc.* Dec. IV. Feſt. III; n. 2. Pollux *Onom.* lib. VI. cap. XI. inquit: Μάζαι δὲ, αἱ μὲν ἱεραὶ, ἀμφιφῶντες μὲν, ἃς ἔφερον εἰς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος· Δᾷδας ἡμμένας περιπήξαντες *Placentæ quidem ſacra ἀμφιφῶντες, quas ferunt in Munychiæ Dianæ Faces accenſas circumfigentes.* Athenæus lib. XIV. Ἀμφιφῶν, πλακοῦς Ἀρτέμιδι ἀνακείμενος· ἔχει δ' ἐν κύκλῳ καόμενα δᾳδία. *Amphiphon placenta Dianæ ſacrata. Habet vero in Orbem Ardentes Faculas.*

VIII.

Veſtæ ſacra, quæ Romanis celeberrima fuerunt, non alia re magis celebria, quam quod ignem æternum Deæ Virgines Veſtales cuſtodirent. Ipſam Veſtam alioquin pingere Romani cum face ſolebant, (*a*) aut capite velato aræ aſſidentem, in qua luculentus ignis ardebat. (*b*) Captæ, ita loquuntur, virgines Veſtales, quæ huic muneri præeſſent, ne unquam ſacer ignis deſineret, (*c*) quem idcirco æternum dixere. (*d*) Certum tempus præſtitutum lego; quo ipſis in aris Veſtæ ſacris

ſacræ Virgines ignem accenderent. (*e*) Flagro quandoquidem cæſas legimus, ſi negligentius egiſſent. Nec enim impune facturas Virgines, aut omiſſuros ſe ipſos Romani cultum Veſtæ exiſtimabant, qui multis cladibus territi ignem forte exſtinctum in prodigium vertebant, ut fieri ſolet captis ſemel religione animis. (*f*) Certi fuere ritus, qui ſi exſtinctis flammis ſuccurrerent, adhiberentur, ne ſacris quidpiam deeſſet. (*g*) Hic ille Veſtæ cultus, unde illud Poëtæ circumfertur in inſcriptionibus:

CUI REGIA VESTÆ
PONTIFICI FELIX SACRATO MILITAT IGNE.

(*h*) Græcis quoque fuit cœtus virginum ſacer ab Jctino inſtitutus, quæ perpetuum ignem in honorem Minervæ τῆς πολιάδος conſervabant; (*i*) & quid multis Athenienſium Prytaneum, illud πυρὸς

ταμεῖον ſive ignis promptuarium laudibus efferam, in quo ignis nunquam exſtinctus antiquitus flagravit? (*k*)

NOTÆ.

(*a*) Veſta cum face in aliquot Romanorum nummis uti Vitellii expreſſa cum inſcriptione: VESTA P. R. QUIRITUM, tum quoque Saloninæ Gallieni ſub Veſtæ habitu depictæ cum elogio: VESTA FELIX, qualem jam edidit Triſtanus. Ita Spanhemius *de Veſta & Prytan. Græcor.* §. XI. Utrumque numiſma accurate Grævius *in Antiquit. Tom.* V. p. 680. E. delineari curavit.

(*b*) Vide Nummos Croicos Tab. XXV. n. VI. & Antonium Auguſtinum *Numiſmat.* Tab. XXV. n. VI.

(*c*) De Sacro Veſtalium igne Laurentius *in Variis gentil. ſacris.* cap. I. p. m. 148. B. & paullo plenius Plutarchus *in Camillo.* p. m. 139. A. Sacerdotes Virgines huic muneri deſtinatæ erant numero ſex, uti annotavit Onuphrius Panvinius *in deſcript. Urbis Romæ* p. 281. A. Originem earum ad ipſa Judæorum Sacra referunt, quorum ſacrificia igne cœlitus delapſo hauſta atque accenſa legimus lib. I. *Paralip.* cap. XXI. vſ. 26. & lib. II. cap. VII. vſ. 1. 2. 3. & ipſis Judæorum ſacerdotibus ſacri ignis cuſtodia incumbebat. *Levit.* cap. VI. vſ. 12. 13. Singula illa fuſius

&

& pro more doctiſſime proſequitur Daniel Claſenius *in Theolog. gentil.* Part. III. cap. I. §. V.

(*d*) Non mihi de æterno igne ſermo, quem ſepulcris intuliſſe dicuntur Cicero, Ægyptiique apud Lohenſteinium *in Arminio* Tom. I. lib. II. p. 181. Sed quem Indefeſſa opera Virgines Veſtales conſervabant. Fuſius de perpetuo igne memoriam pertractant Ezechiel Spanhemius *de Veſta & Prytan. Græcor.* §. XI. XII. Claſenius *in Theolog. gentil.* Part. III. cap. I. §. VI. Silius *Punicor.* lib. I. vſ. 542. Summa hæc laus ac gloria Veſtæ fuiſſe videtur, tantis impenſis ignem conſervatum. Profuſis ſumptibus, cura enixa ligna colligi ignemque inſtrui videas, cum antiquiſſimum Romæ & pene Roma antiquius fuerit templum Veſtæ. vid. Tacitum *Annal.* lib. XV. & Barthium *Adverſarior.* lib. XXI. cap. IV. Quid quod nulla re magis ille Conſul fugam ſuorum reprimi poſſe exiſtimaret, quam ſi Veſtæ æternum ignem reſtingui ab hoſtibus, ſi rerum potirentur, aſſereret. Facientem verba apud Silium *Punicor.* lib. IV. vſ. 411. habes:

Credite, ſubmiſſas nunc Romam tendere palmas,
Natorum paſſim raptus cædemque parentum
Veſtaleſque focos extingui ſanguine cerne;
Hoc arcete nefas!

Certe ille Heliogabalus, quo Deum ſuum Heliogabalum ſummo honore efferret, ignem Veſtæ in ejuſdem templum tranſtulit. Marlianus *in Topograph. Urbis Romæ* lib. II. cap. XVIII. ipſe Horatius *Carminum* lib. III. Od. I. Æternam Veſtam dixiſſe mihi videtur, quoniam igni æterno cultam certum eſt.

(*e*) Vid. Grævium *Antiquit. Tom.* V. p. 474. A.

(*f*) Nonnulla apud Livium exempla occurrunt, quæ ibidem evolvere cuivis integrum. Legi quoque merentur annotata a Jacobo Gutherio *de Veter. jur. Pontific.* lib. II. cap. II. p. 76. D. E. Valeriano *de fulmin. ſignif.* p. m. 608. & Lipſius *in Syntag. de Veſta & Veſtalib.* cap. VIII. p. m. 638. C. Qui ad exempla illa provocat, qualia in hiſtoria Romana deprehendis. Differt ab hac pœna illa, qua inceſti damnatæ afficiebantur, de qua videndus Marlianus *cit. tr.* lib. IV. cap. XXIII.

(*g*) Vide Lipſium *de Veſta & Veſtal.* cap. VII. & Iſidorum *Peluſ. lib.* II. *Epiſt.* X. Inſtrumentum, quo ignem elicere ſolebant antiqui, elegantiſſime ære exprimi curavit Grævius *Antiq. Tom.* V. p. 639.

(*h*) Vid. Van Dalen *de Conſecrat. Ethnicor.* p. m. 925.

(*i*) Gerbelius *in Græcia Antiq.* apud Gronovium *Antiquit. Tom.* IV. p. 26. B.

(*k*) Suidas voc. Πρυτανεῖον. Locum Scholiaſtis

liaſtis in Thncydidem addidit Meurſius *in Athenis Atticis* lib. I. cap. VIII. & in hoc aliiſque Græcorum Prytanæis æternus quoque Veſtæ ignis flagrabat, uti annotavit ſummus vir Caſaubonus *ad Athenæum.* lib. XV. cap. XIX. Prytanæum autem fuit locus, ubi ſummus Magiſtratus conveniebat teſte Livio lib. XLII. cap. XLV. Ibidem publice alebantur bene de Republica meriti, qui honos habebatur maximus. Joſ. Laurentius *in Variis gentil. Sacr.* cap. XI. Cuivis Genti ſua Prytanæa, Tarentinis, Corinthiis, Rhodiis, Mileſiis Thaſiis, nec non Curiæ ad jus dicendum peculiares. Invenio apud Caſaubonum *ad Athenæum* lib. XV. cap. XIX. & Carol. Sigonium *de Republ. Athenienſ.* lib. I. cap. II. Theſeus abhinc fuit primus, qui commune omnibus Atticæ terræ incolis Prytanæum conſtituit. Stephanus *de Jurisdict. Græcor.* cap. III. Emmius *Rerum Græcar.* Tom. III. *de Republ. Athenienſ.* p. 436. C. & pluribus Meurſius *de fortun. Athenar.* cap. cap. III. Tanta fuit hujus Athenienſium Prytanæi celebritas, ut quingenti cum Archonte ibidem convenirent. Lazius *in Græc. Antiq.* lib. II. cap. I.

IX.

Veſtæ & Palladi uti Romani & Græci, ita Arcades Pani Deo æter-

æternum ignem conſecrarunt. (*a*) Arcades imitati Athenienſes, omnium æmuli lumina ſacris hujus diei addiderunt, eidemque uti Minervæ in Panathenæis lampadum certamine in arce ſua ſacrum fecerunt. (*b*) Nec cultus tantum lampadibus Pan, ſed in nummis quoque expreſſus utraque manu facem tenens. (*c*) Sic quoque in templo Jovis Ammonis ſervati ignes æterni & lampades; (*d*) & lychnuchis cereiſque fulget Apollinis templum, quod Romæ fuiſſe ad eam montis Palatini partem lego, qua ad circum maximum vergit. (*e*) Præterea lapidibus lychnis ornatum Deæ Syriæ templum, quod ſcriptum reliquit Doctiſſimus Vir Samuel Bochartus in *Hierozoico Tom.* II. lib. V. cap. VIII. init. ne quid omitterent, quod lucem ſacratarum ædium dignitati afferret.

NOTÆ.

(*a*) Pauſanias *in Arcadicis* pag. 516.

(*b*) Herodotus lib. VI. cap. CV. hic in mentem mihi revoco, quod cum Minervam gentiles in Panathenæis, Vulcanum in Hephæſtiæis, Prometheum in Prometheis luminibus extulerint, hæc omnia uni Pani ſacra eſſe voluerint. Ita interpretor Verba Libanii *in Declamat.* XV.

(*c*) Quod ſummus Vir Spanhemius *ad Jul. Cæſar.* p. 44. & p. 490. declaravit.

(*d*) His exprimit verſibus Silius *Punicor.* lib. III. vſ. 8. ſqq.

Priſca fides adytis longo ſervatur ab ævo,
Qua ſublime ſedens Cyrrhæis æmulus antris
Inter anhelantes Garamantas corniger Ammon
Fatidico pandit venientia ſæcula luco.
Hinc omen cœptis & caſus ſcire futuros,
Ante diem, bellique vices noviſſe petebat.
Exin Clavigeri veneratus Numinis aras
Captivis onerat donis, quæ nuper ab arce
Victor fumantis rapuit ſemiuſta Sagunti.
Vulgatum, nec caſſa fides, ab origine fani
Impoſitas durare trabes, ſolaſque per ævum
Condentum noviſſe manus, hic credere gaudent
Conſediſſe Deum geniumque repellere templis.

Tum queis fas & honos adyti penetralia noſſe
Fœmineos prohibent greſſus ac limina curant
Setigeras arcere ſues, nec diſcolor illi
Ante aras cultus. Velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtramine vertex.
Diſcinctis mos thura dare, atque è lege Parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.
Pes nudus, tonſæque comæ, caſtumque cubile,
Irreſtincta focis ſervant altaria flammæ.

(e) Marlianus *in Topogr. Urb. Rom.* lib. II. cap. XIX. init. Lychnum quoque in æde Apollinis fuiſſe conſtat, qui malum ferebat. Plinius lib. XXXIV. cap. III. Hunc lychnum in expugnatione Thebarum Alexander Luciniæ ademptum Apollini dedicaverat. Auguſtus autem in eo templo, quod in Palatio cum porticu & bibliotheca exſtruxerat, & ob id Palatii nomen accepit, Apollini ſuo conſecravit. Suetonius *in Auguſto* cap. XXIX. & Pancirollus *in deſcript. Urbis Romæ* p. 363. C.

X.

Saturnus divinitatem & apud Romanos, Græcos & apud alias gentes conſecutus, in Saturnalibus die

die XVII. menſis Decembris, nec non diebus ſequentibus habitis, cultus fuit. (*a*) Ea quidem miſſitandis cereis celebria fuiſſe, nemo eſt, qui dubitat. Ritus eorum congeſtos apud Gronovium *Antiquitat. Græcar*, *Tom.* XI. p. 1054. C. 1055. D. Lipſium *Saturnal. Sermon.* lib. I. cap. II. Solinum *in Polyhiſtore* cap. III. Athenæum lib. XIV. cap. XVII. Martialem lib. IV. *epig.* XLVI. lib. XI. *epig.* VII. lib. XIV. *epig.* III. Statium *Sylvar.* lib. I. carm. VI. alioſque complures reperies.

NOTÆ.

(*a*) Saturnus multis veterum ſcriptorum laudibus inclaruit. Fingunt ipſum Cœli & Veſtæ, Sc. Terræ filium, ipſumque ſolem nuncupant. Venerius *de Oracul. & divin.* cap. X. Claſenius *in Theolog. gentil. Part.* III. cap. IV. §. 3. Cœlo regnum obtinuiſſe illum ferunt, ac idcirco in Olympia fanum condiderunt. Laurembergius *in Græc. Antiq.* p. m. 42. D. Ipſum adeo credunt Adamum (Gronovius *Antiquit. Tom.* X. p. 721. C.)

alii Noachum (Gronovius *cit. loc. Tom.* I. *lit.* A.) omnes vitæ civilis primum inſtitutorem appellant. Laurentius *in Var. gentil. Sacr. cap.* I. Clariſſimus quoque hoc nomine gentibus, & cum cæteris Diis cultus. Cecrops, hunc ut colerent ſuis præſcripſit, ipſi primus Saturno aram poſuit. Meurſius *de Regib. Athen.* lib. I. cap. IX. init. Aurea ſub eo fuiſſe ſecula nugantur Poëtæ apud Svvertium *de Deor. Dearum capit. lib.* I. *fig.* I. qua propter ſigna ejus aurea fuiſſe exiſtimo Athenis. vid. Meurſium *de fortun. Athenar. cap.* III. Cultus ludis Saturnalibus, de quibus in Gronovii *Antiquit. Tom.* XI. p. 1051. E. & diebus feſtis omni religione conſpicuis. Illa Saturnalia habita Romæ XIV. Kal. Januar. Septemque diebus finiebantur. Perionius *de Græcor. & Roman. Magiſtr.* lib. III. p. m. 1814. Hæc quoque Rhodiis in honore, uti exponit Theodoretus *Græcanic. affect.* lib. VII. & Græcis illa Cronia, quæ non ſunt diſſimilia Romanorum Saturnalibus. Petrus Caſtellanus in Ἑορτολογ. p. 679. B. C. D.

X I.

Lampteria Bacchi τȣ̃ λαμπτῆρος, (*a*) vel ſolo nomine indicant, accenſa fuiſſe in iis lumina lampadesque. Pellenenſes in Achaja pera-

peragebant, *nocturno tempore faces in templum inferre*, vinique crateres per urbem univerſam diſponere ſoliti. (*b* Dalis feſtum, quod tribus diebus abſolvebatur, accenſis quoque facibus celebratum fuit. (*c*) Huc refero porro illa Apaturia, quæ Athenienſibus ſacra erant & tribus diebus peragebantur. Primo die epulæ circa veſperam habitæ, quare Tertullianus dementiam ethnicorum ridet, (*d*) qui in ſacris diebus coquorum delectus habuerint. Sequenti die puerum ad aram adducebant, eundemque tertio in album Civium referebant. Parentes quippe pueros offerebant Senatui præſtito juramento: hos eſſe Athenienſes natoſque ex Athenienſibus. Dies erat ſecundus, quo ſtolis induti pulcherrimis *Facibuſque e foco promptis* currentes Vulcani laudes canebant. (*e*) Nec fugit me, quod ΠΥΡΣΩΝ ΕΟΡΤΗ Argivis ſacrum in memo-

riam

riam Lyncei & Hypermeſtræ fuerit. Lynceus quippe Lyrceæ & Hypermeſtra Lariſſæ accenſa face ſignificabat, ſe periculis ereptam. Argivi quotannis, ut hujus rei memoriam ſervarent, feſtum accenſis facibus celebrarunt. quod pluribus docet Pauſanias *in Corinthiacis*, cujus verba hic addere non eſt opus.

NOTÆ.

(*a*) Quod Bacchi fuit cognomentum, prout oſtendit Eggelingius *in Myſter. Cerer. & Bacch.* p. 69. B. Vox λαμπτὴρ alioquin fuit largæ ſignificationis, autore Gronovio *Antiquit. Tom.* II. n. IV. Urbem Lampteram fuiſſe comperio, quam Phocæam dicunt, vid. Gyllium *in Topograph. Conſtantinop.* lib. III. cap. V. De ea Livius *Hiſtor.* lib. XXXVII. cap. XXXI. ſcriptum reliquit: *In ſinu maris intimo poſita hæc urbs eſt, oblonga forma, duorum millium & quingentorum paſſuum ſpacium murus amplectitur: coit deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum, Lamptera ipſi appellant: mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet, inde in altum lingua mille paſſuum excurrens medium fere ſinum velut nota diſtinguit,*

guit, ubi coharet faucibus anguſtis, duos in utramque regionem verſos portus tutiſſimos habet: qui in meridiem vergit, Nauſtathmos ab re appellatur, qui ingentem vim navium capit: alter prope ipſum Lamptera eſt.

(*b*) Pauſanias *in Achaicis*: Τοῦ δὲ ἄλσους τῆς Σωτείρας ἱερὸν ἀπαντικρὺ Διονύσου λαμπτῆρός ἐστιν ἐπίκλησιν τούτῳ καὶ λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγουσι, καὶ δᾷδας τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζουσιν ἐν νυκτὶ, καὶ οἴνου κρατῆρας ἱστᾶσιν ἀνὰ τὴν πόλιν πᾶσαν. *Luco autem ſervatricis templum e regione eſt Bacchi Lampteris cognomine. Huic etiam feſtum celebrant Lampteriam, & tum faces in templum noctu ferunt, tum vini crateres ſtatuunt per omnem urbem.* Paucula habet Jonſtonus *de Feſtis Græcor. Part.* I. cap. III. §. IX. & Faſoldus *de Feſtis Græc. Decad.* IX. *Feſt.* III. Templum ejus in quo celebritas agebatur, exſtructum apud Pallenſes, de quo vid. Nicolaum *de Ritu Bacchanal.* cap. VII. p. 193. A.

(*c*) Lucianus *Pſeudomanti.* Ἔτα λητοῦς ἐγίγνετο λοχεία, καὶ Ἀπόλλωνος γονὴ, καὶ Κορωνίδος γάμος, καὶ Ἀσκληπιὸς ἐτίκτεται. ἐν δὲ τῇ δευτέρα, Γλύκωνος ἐπιφάνει, καὶ γένεσις τοῦ θεοῦ. τρίτῃ δὲ ἡμέρα, Ποδαλειρίου τὸ ἦν καὶ τῆς Μητρὸς Ἀλεξάνδρου γάμος. Δᾳδὶς δὲ ἐκαλεῖτο, καὶ δᾷδες δὲ ἐκαίοντο. *Deinde eſt Latonæ puerperium & nativitas Apollinis, & nuptiæ Coronidis, & Æſculapius naſcebatur. In ſecunda vero præſentia Glyconis, & nativitas Dei. Tertia autem die erant*

Poda-

Podalirii & Matris Alexandri nuptiæ; vocabaturque fax; & vero faces erant accenſæ.

(*d*) Tertullianus *in Apologetico* cap. XXXIX.

(*e*) Harpocration voc. λαμπάς.

XII.

De Oraculis nunc dicendum. Dicam tamen paucis, de quibus multa nunc afferre poſſem. Culta oracula luminibus lampadibuſque reperio ab iis, qui reſponſa peterent. Ita in Pharis Achajæ oraculum Mercurii fuiſſe conſtat. Illi, qui conſulentes hoc oraculum accedunt, oleum lampadibus quæ ante ejus ſimulacrum appenſæ, addunt, aliiſque pietatis ſignis voluntatem Dei eliciunt, quæ non ſunt hujus loci, ut exponam. (*a*) Eadem de Oraculo ad Apolloniam, (*b*) & illo quod fuit Alexandriæ, (*c*) nec non illo, quod in Serapidis Alexandrinorum templo inclaruit (*d*) antiquitas conſignavit. Sic Plutonis oraculum qui con-

conſulebant, noctu id faciunt, lampadem accendunt unam, & per oculorum fulmina reſponſum accipiunt. (*e*) Lacus etiam, quæ Palmyrenis exitium prædixiſſe fertur, igne inſtar lampadis aut globi effulgente id feciſſe dicitur. Multi ſunt, quos antiquitus hoc de oraculo ignivomo ſermones ſerebant. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Vide Bulengerum *de Oracul. & Vatib.* cap. CLVIII. & Van Dalen *de Oraculis Antiq. Diſſ.* I. cap. XI. p. 256. deſcripſit Pauſanias *libro ſeptimo.* De nomine Pharis pauca mihi dicenda-ſuperſunt, id tam urbis, tam hominis nomen. Pharæ oppidum, quod inter eas Cretæ urbes, quarum memoria extat, nominat Plinius, apud Emmium *Rerum Græcar. Tom.* I. lib. VII. p. 161. C. Scribunt quoque de urbe Pharis Dymæo agro conterminis, a quibus & Pharienſes nomen ſuum accepere. Meminit illarum & cum Dyma laudat Lazius in *Græc. Antiq.* lib. II. cap. III. Deinde ejuſdem nominis urbem Laconiæ prædicant, de qua videndus Meurſius *in Miſcellaneis Laconicis.* Libri & capi-
tis

tis numerus effluxit, nec jam ad manus liber eſt, ut omiſſa reſtituerem. Hanc autem Teleclus, qui fuit Spartanorum Rex, funditus delevit, ſimul cum Geronthris & Amyclis oppidis. Emmius *d. Tom.* I. lib. II. p. 106. Achæi quippe urbes illas adhuc obtinebant. Meurſius *de Regno Lacedæmon.* cap. IX. Præterea Pharis *nomen hominis*, quo Mercurii & Philidamiæ filium intelligunt, & quem Phararum in Meſſenia urbis conditorem dicunt. Lazius. *d. lib.* II. *cap.* IV. Oppida ejuſmodi ſedulo diſcernas ab illis in Achaja Pharis neceſſe eſt, de quibus Emmius *d. Tom.* I. *lib.* II. p. 109. E. & Schoockius *in Achaja Vetere cap.* I. Non tamen aliæ Pharæ Laconum, quæ initio Achæorum imperium, dein Lacedæmoniorum agnoverunt. Eas demum Auguſtus Imperator Lacedæmoniorum provinciæ reddidit, quæ Achaja erat adſcripta. Meurſius *de Regno Lacedæm. cap.* XXI. fin.

(*b*) Egregius eſt Dionis Caſſii *lib.* XLI. locus, quem vide.

(*c*) Plæclare de hoc oraculo tradit Ruffinus *Hiſtor. Eccleſ. lib.* II. *cap.* XXV.

(*d*) Hoc quoque illuſtrat Ruffinus *in Hiſtor. Eccleſ.* lib. II. cap. XIII. Parum enim huc ſpectant, quæ de oraculo Serapidis Bulengerus *de Oracul. & Vatib.* cap. CLVII. tradit.

(*e*) Claſenius *in Theolog. gentil. Part.* II. cap. IV. §. VII.

(*f*) Zo-

(*f*) Zozimus *Hiſtor.* lib. I. cap. LVII. Adde Van Dalen *de Oracul. Ethnic. Diſſ.* I. *cap.* XIII. p. 283. & *Diſſ.* II. *cap.* V. p. 516. Meminere ejuſdem loci Euſebius *de Vita Conſtantini* lib. II. cap. LIV. Sozomenus *Hiſtor. Eccleſ.* lib. II. cap. V. Socrates *Hiſtor. Eccleſ.* lib. I. cap. XVIII. Deſtruxit templum Veneris Conſtantinus, uti Euſebius *cit. tr.* lib. II. cap. LVI. refert.

XIII.

Paganorum inter ſacra celebrantur quoque conſecrationes Regum, Heroum, Imperatorum, aliorumque de republica bene meritorum. Adhibitæ *ardentes faces* in conſecrationibus Terminorum. (*a*) *Facem* in campo Martio quoque ſuggeſtui illi in formam tabernaculi compacto, in quo lectulus ille Principum demortuorum poſitus, imperii ſucceſſor & poſt eum, qui aderant Ordinis Equeſtris Viri admovebant, illoque modo in Deorum numerum referebat. (*b*) Tum additæ conſecratis ſtatuæ, imagines,

nes, aræ, *Coronæ radiatæ*, *Fulmina.* (*c*) Excuſi nummi aurei, argentei, ærei, quibus adjectæ *Flammæ*, *Vaſa Sacrificalia.* (*d*) Conſecratus Herodes magnus ac eo ipſo die, quo memoria ſancte habita fuit, accenſæ lucernæ & violis coronatæ in feneſtris ponebantur, foreſque frondibus ornabantur. (*e*) Mulierculas ipſas Romani, quas Deorum numero habebant, facibus pingunt, Divamqqe Fauſtinam, quæ omnibus Romanorum annalibus celebrata eſt mulier, ſub imagine *Dianæ Luciferæ* in antiquis numiſmatibus gemmiſque exprimunt. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Pluribus rem ex *Siculo Flacco* illuſtrat van Dalen *de Conſecrat. Ethnic.* p. 665. & Perionius *de Græcor. & Romanor. Magiſtr.* lib. III. p. 2809. E.

(*b*) Vide Kippingium *in Antiquit. Roman. in Corollar. ad lib.* I. *cap.* XII. p. 368. *& in Co-*

Corollar. ad lib. II. *de Conſecrat. Princip.* n. XIV. p. 509.

(*d*) Annulos tales invenias apud Gorlæum *in Dactyliotheca* n. XCV. XCVIII. Barthium *Adverſarior.* lib. X. cap. XXI. XXIII. lib. XI. cap. X. lib. XVII. cap. I. Peruccium *de Pompa Funebri* lib. III. p. 54. 55. & Bulengerum *de Imperatore Romano* lib. I. cap. X. XI. XIII. XIV. XV.

(*c*) Narrat de Julio Cæſare Florus lib. IV. cap. II. de Auguſto Suetonius *in Auguſto* cap. XCIV. Tacitus *Annalium* lib. I. p. 8. & 9. Dio Caſſius lib. LVI. Auguſtinus *Numiſmat.* Tab. XVI. n. XVII. ſqq.

(*e*) Perſius *Satyra* V.

Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſita pinguem nebulam vomuere lucerna.

Additi quoque ſacerdotes, de quibus Kippingius *in Auctar. ad Pappi Epiſt. Hiſtor. Eccleſiaſt.* p. 107. 108. & conf. Cauſaubonus *in Exercit. Adverſ. Baronium Ex.* I. Sect. V.

(*f*) Vid. Il. Giornale de' Letterati d'Italia Tom. III. art. XI.

X I V.

Non omittenda quoque Auguria veterum. Augures, quibus illorum

lorum cura incumbebat, ſacra luminibus ornaſſe leguntur. Lumina, tædæ, flammæ, ignes ſubito collucentes pro ominibus habiti & Augurum expiationi ſive curæ relicti. (*a*) Omina colligi e lucernarum ſplendore & fati humani indicia vaniſſimi ſibi perſuaſerunt Augures aliique. (*b*) Lucernæ augurum ſemper apertæ, (*c*) & candelarum extinctarum omina non leviſſima inter auguria habita. (*d*) Sed videantur pluribus illi, qui integros de auguriis libros condiderunt.

NOTÆ.

(*a*) Juvenio apud Suetonium *in Tiberio cap.* XIV. Accidit, ait, *ut apud Philippos Sacratæ olim victricium legionum aræ ſponte ſubitis collucerent ignibus.* Talia congeſſerunt Remigius *Dæmonolatriæ* lib. II. cap. III. Licetus *de lucernis ſubterraneis* lib. IV. cap. XXXIV. & Bodinus *in Theatro naturæ* lib. IV. p. 211. & Argolus *in Pandoſio ſphærico* cap. XIV. Infinita ſunt in hiſtoria Romana eorum exempla, qui apicem, caput, tuni-

cam

cam &c. Ardentem conſpexerunt imperii aut alicujus magnæ rei gerendæ auſpicium inde capeſſentes. Plæclarum locum Virgilii ex Æneide ſeptima apponam.

Præterea CASTIS adolet dum altaria
TÆDIS,
Et juxta genitorem adſtat Lavinia
virgo,
Viſa (nefas) longis comprendere crini-
bus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepi-
tante cremari.

Feliciſſimum augurium ignes & flammæ habebantur, ignis præſertim, qui clarior altiorque vadebat, præſtantiſſimum auſpicium præbebat, unde Dio Caſſius lib. XXXVII. inquit: *Καὶ τινα παρὰ τοῦ δαιμονίου χρηστὴν ἐλπίδα ἅμα τῇ ἕω λαβὼν ὅτι ἱερῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, ὑπὸ τῶν ἀει παρθένων ὑπὲρ τοῦ δήμου ποιηθέντων τὸ πῦρ ἐπὶ μακρότατον παρὰ τὸ εἰκὸς ἤρθη.* Nec Romanis id tantum creditum, ſed Græcis quoque, ut Euripides *in Phœniſſis* docuit. Sed vide Auguſtinum Niphum *de Auguriis* lib. I. cap. X. Qui totam de Auguriis ſcientiam hoc libro complectitur, & van Dalen *de Oracul. Ethnicor. Diſſ.* I. cap. XIII. p. 286. fin. & Bulengerum *de Sortibus* lib. I. cap. VI. Neſcio quo fato adducti vaniſſimi Augures, ut e flammis augurium caperent, quod ex avium

tantummodo garritu capere volebant. ab avium quippe garritu augurium & tota augurum doctrina deſcendit. Vide Amphiaraum Augurem apud Statium in *Thebaid.* III. vſ. 482. Iſidorum *Originum* lib. VIII. cap. IX. & Sherlogum *in Antiquit. Hebraeor. lib.* I. *Diſſ.* IV. Sect. IX.

(*b*) Oſtendit Macedonius *in Anthologia*: Jam lucerna cariſſima ter ſternutaſti. Virgilius *in Georgicis*.

Nec nocturna etiam ducentes penſa miniſtra
Neſcivere hymen, teſta cum ardente viderent,
Scintillare oleum & putres concreſcere fungos.

Conf. Propertium lib. IV. *Eleg* III. & de lucerna Sibyllæ Apulejum, nec non Bulengerum *de Prodigiis* lib. IV. cap. XII.

(*c*) Laurentius *in Variis gentil. Sacris* cap. XI. Cauſam eleganter vides expreſſam in Grævii *Antiquitat. Tom.* V. p. 974. & Plutarcho *in Quæſtion. cap.* LXXI.

(*d*) Adi ad Niphum *de Auguriis* lib. I. cap. XXI. & Grævium d. l. Tom. V. p. 346 Tab. VIII.

X V.

Demum accedo ad luſtrationes expiationeſque gentilium, quas inter Februalia præſertim celebrantur. Maximi ſunt momenti, quæ de Februalibus antiqui commemorant. Origo ipſius vocis ſatis decantata, ut ut dubia ſit. Februa ſenſu latiori dicebantur quæcunque in ſacris, ſeu luſtrandi, ſeu expiandi cauſa adhibebantur. (*a*) Deſcendit ea vox vel a Sabinorum lingua, qui *Februum* dicunt *purgamentum*, vel ab ipſo *Februo*, quod idem eſt ac *purgare* & *luſtrare*. Populum quippe februare ſolebant. Quidam etiam non male a Janua februata, quam alii Februalem, alii Februalim appellant, nomen illud fluere contendunt, quoniam ipſi eo menſe Sacra Februalia fiunt. (*b*) Ipſa ſacra Februalia Calendis Februarii habita (*c*) in honorem Pluti & Fe-

brui Dei, qui luſtrationum potens dicitur. (*d*) Non his Calendæ Februarii tantum deſtinatæ ſed etiam dies undecim ſequentes continui. *Lumina Accenſa* tumulis demortuorum impoſita, quibus propitios ſibi manes ac umbras defunctorum redderent. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Ita Lambecius *in Veter. Calendar. Rom.* apud Grævium *Anquit. Tom.* VIII. p. 105. C. conf. Gutherius *de Jure Manium lib.* II *cap.* VII.

(*b*) Hæc Moreſtellus *De menſibus lib.* I. *Dial.* III. exponit.

(*c*) Oſtendit Junius in lib. *Faſtor. menſe Februario ſub init.* & Plutarchus *in Numa.* Conf. Kipping *Antiquit. Romanar.* lib. I. cap. X. §. 10. De ipſo Februario menſe a Numa inſtituto adi ad Macrobium *Saturnalior.* lib. I. cap. XIII. & cum primis Caſtellanum *de Græcor. aut Athenienſ. menſibus* apud Gronovium *Antiquit. Tom.* IX. p. 1098. D. E. Menſem fuiſſe manibus ſacrum atroque lapillo notatum omnes veterum loquuntur annales. Omnis lætitiæ expers, triſtiſque religionis æterna ſedes, quippe quo etiam illa Parentalia ſacra celebrata, teſte Meurſio

de

de Funere cap. XXXVI. Evolvi poteſt de illorum ſignificatione Laurentius *de Funere Antiquor. cap.* II. & in ulteriorem cognitionem adhiberi Ferrarius *de Lucernis Veterum Sepulcral.* p. 999.

(*d*) Macrobius *Saturnal.* lib. I. cap. XIII.

(*e*) De eo ritu quoniam multis dicere nolo, loca autorum adducam, qui pluribus illuſtrant, Macrobii ſcilicet *in Saturnal.* lib. I. cap. VII. Strabonis *Geograph.* lib. IX. Lactantii *Divinar. Inſtitut.* lib. I. cap. XXI. Tertulliani *in Apologetico* cap. XXXV. Dreſſeri *de diebus feſtis ſub Mariæ purif. Feſt.* p. II. Lonneri *Adſert. Cathol. poſ.* III. p. 44. §. XCII. Martini Bohemi *Kirchen Kalender* p. 167. Rhenani *in Annot. ad Tertullianum contra Marcionem.* lib. V. n. 19. Non poſſum non, quin verba Joſephi Laurentii *in Variis gentil. Sacr. cap.* XVII. adſcribam *Amburbialis victima erat, cum propter dira prodigia, ut ſi bubo & lupus cellam Jovis vel Capitolium intraſſet, tædæ, aut victimæ ſulphuris & aquæ luſtratione urbs aut Capitolium peragebatur. Sacrum vero Ambarvale tutandis Imperii finibus factum, ſingulo quoque quinquennio per Cenſores: Suovetaurilibus ſcilecet, ſue, ove ac tauro, qui circumducebantur menſe Februario, quo tempore Februo inprimis litatum, ſacrumque peractum. Mox Cenſor in magna ordinum frequentia Deos Imperii præſides ſolenni precatione invocabat, ut rem Roma-*

manam, templa, urbem, fines conſervarent, & proſperos ſucceſſus darent, malaque averruncarent, votaque in ſequens luſtrum promitterent.

XVI.

Adeo frequens ille expiationum, luſtrationum & Februorum uſus, ut nil eo frequentius. Triplicem ipſi homini luſtrationem tribuunt, alteram, quæ fieri *tædis* ſolebat & *ſulphure*; Deinde fuit alia, cui adhibita aqua. Demum aëre ventilabantur. (*a*) Sermonem hic inſtituo de illis Februis aut luſtrationibus, in quibus *ſulphur* adolebatur cum *tædis*, id enim februare denotat Romanis, uti apud Græcos verba ἁγνίζειν, καθαίρειν, de quibus congeſſit quædam Wowerus *in Animadverſ. in Petronium* p. 443. 444. Pontanus *in bellariis Atticis* p. 371. & Caſaubonus *Adverſus Baronium Exerc.* XVI. *Sect.* XLIII. (*b*) Et hic luſtrationum uſus non ſolum in Sacris

Sacris veterum, verum etiam in bello, (*c*) & eorum exequiis (*d*) obtinuit. In ipſum Aquiminale, quod erat ad fores templi & ex qua adſpergebantur luſtrandi, *titionem ardentem* mergebant, quo magis luſtrationem aqua luſtrali faciendam adjuvarent. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Vide Claſenium *in Theolog. gentil.* Part. III. cap. VI. §. I. Laurentium in *Variis gentil. Sacris cap.* XVI. p. 215. Sed ſuperſunt alii quoque luſtrationum modi. Ita apio & porro utebantur in Februis, annotante Laurentio *de* Agyrt. *Hiſtrion. acclam. &c.* cap. I. Dumque Oraculorum antra adirent luſtrationes factæ per manuum ac pedum vel totius quoque corporis lotionem. Declaravit pluribus van Dalen *de Oracul. Antiq. Diſſ.* I. *cap.* V. p. 100. Conferatur etiam *Diſſ.* I. *cap.* VIII. p. 192. & *cap.* VI. p. 129. Luſtrationis ritum fieri floribus ſolitum exponit Meurſius *in Eleuſiniis* cap. VII.

(*b*) Adſcribam Poëtarum loca, Virgilii,

At nutrix patula componens SULPHURA
teſta,
Narciſſum caſiaſque herbas incendit o-
lentes.

Ovidii *Metamorph. lib.* VII. vſ. 259.

- - - - paſſis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras,
MULTIFIDASQUE FACES in foſſa
ſanguinis atra
Tingit & intinctas geminis accendit in
aris.
Terque ſenem FLAMMA, ter aqua,
ter SULPHURE luſtrat.

Tibulli *lib.* I. *Eleg.* V. Propertii *lib.* IV. *Eleg.* IX.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.

Juvenalis *Satyr.* II.

- - Cuperent luſtrari ſi qua darentur.
SULPHURA cum TÆDIS & ſi foret
humida laurus.

Theocriti *Idyll.* XXIV. Homeri *Odyſſ.* X. De facibus elegans eſt locus Claudiani *in Conſul. Honorii* VI. vſ. 324. Adde loca Urſini Ana-

Analector. lib. I. cap. XXVIII. & Claſenii *de Theolog. gentil.* Part. III. cap. VI. §. III.

(*c*) Dicam infra cap. VIII.

(*d*) Dicam cap. IX.

(*e*) Laurentius *in Var. gentil. Sacr. cap.* XVI. p. 216.

X V I I.

Antiquus demum apud ethnicos obtinuit mos, ut expiationis gratia per ignes tranſilirent. Hæc illa Palilia, fieri ſolita die Aprilis XXI. quibus rogabatur Pales, ut partus felices pecori daret, tabem ac lupos prohiberet, ſalubria paſcua redderet. Paſtores ſub initium auroræ adolebant ſuffimentum e favilla vituli, ſanguine equi & fabæ ſtramine luſtrabat pecus ac ſtabula omnia aqua, *incenſo ſulphure*, admiſtis foliis lauri offerebat libum de milio, lacte & ſapa, id eſt, vino decocto. Sacris exactis, paſtores aqua reſpergebantur, cœnæ parabantur, quibus finitis ſub

noctem *Ignes* e ſtramine accendebantur, quos tranſiliebant, ut corpora ſua expiarent. (*a*) Inde natum nomen horum ſacrorum notiſſimum: *Fumoſa Palilia foeno*. Romam eo die conditam ac idcirco diem iſtum omnibus lætitiæ ſignis celebratum commemorant. (*b*) Ejus ſuperſtitionis aut ſtultitiæ potius nonnulla veſtigia ſuperſunt die Joannis Baptiſtæ memoriæ ſacro, quo non pueri ſolum, ſed & viri, matreſque infantes geſtantes in civitatibus quibuſdam ignes in plateis accenſos ſaltu transmittunt, avertendi mali & expiationis cauſa. (*c*) Hæc ſunt, quæ de luſtrationibus adferri debuerunt. Exactiorem rei cognitionem qui deſiderant, evolvant doctiſſimi Viri Lomeieri *Epimenidem*, (*d*) qui præclare luſtrationes antiquorum expoſuit, laudaturque hoc nomine in *Actis Eruditorum Lipſien-*

ſienſibus anni 1628. n. VIII. p. 253.

NOTÆ.

(*a*) De his vide Ferrarii Viri doctiſſimi *Electorum* lib. II. cap. XXIV. Cujus opuſcula ſelectiora nominis æterni Vir Joannes Fabricius collecta exprimi curavit. (*Il Giornale de Letterati* d'Italia Tom. VI. p. 489.) nec non Wolfg. Lazii *Commentar. de Republ. Roman.* lib. XI. fol. 872. Petavii *Rationar. Tempor.* Part. I. lib. II. cap. VIII. Caluiſii *Iſagog. Chronolog.* cap. X. Kippingii *Antiquit. Roman.* lib. I. cap. X. § XIV. Ciceronem *de Divinat.* lib. V. Ovidium *Faſtorum* lib. IV. Varronem *de Re Ruſtic.* lib. III. cap. I. Tibullum lib. II. *Eleg.* VI. Propertium lib. IV. *Eleg.* I. & IV. Plurimis aliis, ut veteres ignes fuerint ſupergreſſi docet Moreſtellus *de Pompa feral.* lib. VIII. cap. X.

(*b*) Ovidius *Metamorph.* lib. XIV. vſ 772. ſqq. Propertius lib. IV. *Eleg.* IV.

Urbi feſtus erat, dixere Palilia Patres
Hic primus cæpit mœnibus eſſe dies.
Annua paſtorum convivia luſus in urbe,
Cum pagana madent fercula divitiis.
Cumque ſuper raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes.

Nihil tamen certi de origine ipſius Romæ afferunt Romani, dies XI. Cal. Maji, qnem Plinius *Hiſtor.* lib. XVIII. cap. XXVI. & Solinus *in Polyhiſtore* cap. II. nominant, dubius adhuc. Palilia tamen ipſa non aliena a moribus & vitæ ratione videntur, quam inierunt Romulus & Remus paſtores & gregum cuſtodes, nec abs re eſſe arbitror, quod popularia hæc ſacra dixerit Laurentius *in Variis gentil. Sacris.* cap. XIV. p. 198. F.

(*c*) Ferrarius *Electorum* lib. II. cap. XXIV. qui pluribus hanc dementiam declaravit, hanc puerorum quoque laſciviam a ſe obſervatam in patria inquit. Lampadem propterea vocatum diem Joannis Ev. qui in Junii diem XXIV. incidit, ex Joanne Chryſoſtomo docuit Scaliger *de Emendat. tempor.* lib. VII.

(*d*) Optime doctiſſimus Vir tr. ſuum de luſtrationibus Epimenidem dixit. Hic eſt ille Epimenides Phæſtii e Creta filius, vir & morum elegantia & vitæ probitate & rerum ſcientia nemini ſecundus. Venit Athenas arceſſitus anno primo Olympiadis quadrageſimæ ſextæ, (*annus autem agebatur urbis a Cecrope conditæ nongenteſimus quinquageſimus tertius SIGONIO de Tempor. Athenienſ. in* Gronovii *Antiquit. Tom.* V. p. 1638. D. & eodem Sigonio *de Republ. Athenienſ. lib.* I. *cap.* V. *in umbilico fere capitis teſte.*) Urbemque omni undique imminente terrore luſtravit. Ea rerum prudentia fuit inſtructus, ut

So-

Solonem, quo familiariter utebatur, multa doceret, quæ ad conſcribendas leges pertinerent. Meurſius *in Solone* cap. IX. Præclare de illo ſenſit univerſa Græcia; Ab eo ſtatim tempore, quo innotuit Græcis omnibus *θεοφιλέστατος εἶναι Deo chariſſimus eſſe viſus eſt.* Sumptis inprimis ovibus, quibus erant nigra candidaque vellera, quas in Areopagum adduxit, & deinde quo vellent, abire permiſit, urbem Athenarum luſtravit. Meurſius *de Senat. Areopag.* cap. I. Carmina deinde plura ſcripſit, urbes complures luſtravit, exiit Athenis ac in ſpelunca obdormivit, quare ſedens fingebatur in templo Ceramici pone ſtatuam Triptolemi, cujus memoria gratiſſima fuit Athenienſibus. Meurſius *de Ceramico gemin. cap.* I. *fin. & cap.* XV. Hujus pæne opem ipſa Pythia imploravit, implorarunt Athenienſes, qui cum nave Niciam mittebant, ut e Creta Epimenidem adduceret. Meurſius *in Piræeo cap.* X. Qui ibidem fuſius Diogenis Laertii locum adſcripſit. Apud Lacedæmonios quoque Ἐπιμενίδου τοῦ κρητὸς μνῆμα fuit in prætorio, quod ſummi Magiſtratus Ephororum erat proprium; quid quod cadaver Epimenidis ſtudioſe Lacedemonii aſſervarent. Meurſius *in Miſcellan. Lacon.* lib. II. cap. IV. in fin. Nec enim id fuit Lacedæmoniorum ingenium, ut omnes honore indignos præter indigenas exiſtimarent, quin potius honore Epimenidi habito

oſtenderint, non tam gentis ſuæ merita, quam ipſa merita ſibi eſſe cara, eadem fere Cragius *de Republ. Lacedæmon.* lib. IV. cap. IX. ſcripta reliquit.

Caput Octavum.

De Luminum Cultu ac Uſu in Bellis Ludiſque & Agonibus Veterum.

§. I.

RES ſacras excipiunt res bellicæ veterum. Ignis atque luminum in eis uſum peritus rerum nemo in dubium vocabit. Lacedæmoniis Regibus, dum bellum capeſſerent *ignem prælatum* conſtat; (*a*) Perſiſque caſtris motis ignem, quem ſacrum & æternum ipſi vocabant, argenteis altaribus flagrantem affulſiſſe res eſt nota. (*b*) Fluxit ab hoc Perſarum cultu mos apud poſteriores Imperatores, ut iis ignis præferretur, eo tempore, quo honorem augu-

auguſtalem oſtentare & declarare voluerunt. Commodus Imperator ſorori Lucillæ, quæ Marco Lucio Vero nupſerat, ſed immaturo fato amiſerat virum omnia principatus inſignia relinquens & ſella imperatoria ſeſſitare in theatro & ignem de more præferre ſorori patiebatur. (*c*) Sic Niger præcedente igni domum fuit deductus, cum ſalutaretur Imperator. (*d*) Milites Romani, cum Quartinum ſibi ducem invitum quidem & detrectantem deligunt, purpura & igni ὀλεθρίοις τιμαῖς exornant. (*e*) Gordianus compoſitis Africæ rebus, Carthaginem profectus tanquam in ſede imperii ſpeciem principatus omni pompa adornat, ignemque ſibi præferri jubet. (*f*) Ignem ergo imperii ſummi ſymbolem fuiſſe ac pæne unicum exiſtimo. Commodus certe Imperator pellici Marciæ, quæ uxore ipſi carior, omnes

nes Auguſtæ honores præter ignem conceſſit. (*g*) Ipſe Pertinax, qui ſe jam acclamationibus Populi fauſtiſque nominibus Cæſarem eſſe reſciverat, noluit ignem ſibi præferri, donec SCto dictus Imperator foret. (*h*) Hæc de quocunque ferę Romanorum Imperatore veteres prodúnt. Sibi certe non deſipere videbantur, qui ignem ſummi imperii tanquam venerabatur. Deos quondam flammis primis Romanorum Regibus imperii faſtigium demonſtraſſe, (*i*) ex omnium nondum animis effluxerat.

NOTÆ.

(*a*) Xenophon *de Republ. Lacedam.* fol. 400. Petrus Faber *in Agoniſtico* lib. II. cap. X. Plenius rem e Cragio *de Republ. Lacedæmon.* lib. IV. cap. IV. diſces.

(*b*) De quo vide Freinshemium & Raderum *ad Curtii* lib. III. cap. III. n. 9. & Briſſonium *de Regno Perſar.* lib. II. ab init.

(*c*) Herodianus lib. I. cap. VIII. *οὐδὲν ἧττον μέντοι καὶ ὁ κόμμοδος ἐφύλαττε τὰς τιμὰς τῇ ἀδελφῇ, (τῇ λουκίλλῃ) καὶ γὰρ ἐπὶ*

ἐπὶ τοῦ βασιλείῳ θρόνῳ καθίσο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπέμπεσθαι αὐτῆς. De hoc Romanorum more paucula monuit Barthius *Adverſarior.* lib. IX. cap. XVIII.

(*d*) Herodianus lib. II. cap. VIII. p. 91.

(*e*) Loquor cum Herodiano lib. VII. cap. I. p. 289.

(*f*) Idem Herodianus lib. VII. cap. VI. p. 305. Τὸ δὲ πῦρ προεπόμπευεν. ὡς ὄψιν καὶ τυχὴν ἔχειν πρὸς ὀλίγον, ὥσπερ ἐν εἰκόνι, τῆς Ῥώμης τὴν Καρχηδονίων πόλιν.

(*g*) Herodianus lib. I. cap. XVI. p. 54. Ἐπεὶ δὲ τὴν γνώμην αὐτοῦ ταύτην ἀνένηγκε πρὸς Μαρκίαν, ἣν εἶχε τῶν παλλακίδων τιμιωτάτην, ἣ οὐδὲν τι ἀπεῖχε γαμετῆς γυναικὸς, ἀλλὰ πάντα ὑπῆρχεν, ὅσα σεβαστῇ, ΠΛΗΝ ΤΟΥ ΠΥΡΟΣ.

(*h*) Herodianus lib. II. cap. III. p. 69. Οὔτε τὸ πῦρ ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι, πρὶν ἢ μαθεῖν τὴν γνώμην τῆς συγκλήτου βουλῆς. Conf. Pancirollus *in Notit. dignitatum Imper. Orient.* cap. LXVI.

(*i*) Quale exemplum eſt Livii lib. I. cap. XXXIX. lib. XXV. cap. XXXIX. fin. & Silii *Punicor. lib.* XVI. vſ. 118. ſqq. dum canit.

Huic feſſo, quod dura fuga & nox ſuaſerat atra
Carpenti ſomnos, ſubitus rutilante coruſcum

Verti-

Vertice fulſit apex, criſpamque involvere viſa eſt
Mitis flamma comam atque hirta ſe ſpargere fronte.
Concurrunt famuli & ſerpentes tempora circum
Feſtinant gelidis reſtinguere fontibus ignes.
At grandæva Deum prænoſcens omnia mater,
Sic ſi Cælicolæ portentaque veſtra ſecundi
Condite, ait, duret capiti per ſecula lumen,
Ne vero, ne, nate Deum, tu læta paveſce
Prodigia, aut ſacras metue inter tempora flammas,
Hic tibi Dardaniæ promittit fœdera gentis,
Hic tibi regna dabit regnis majora paternis
Ignis & adjunget Latiis tua nomina faſtis.

I I.

Luſtrare Exercitus ſolebant veteres non ſolum Romani (*a*) verum & Græci (*b*) nec tantum Exercitus ſed urbes quoque (*c*) & moenia urbis (*d*) & poſt urbes claſſis, (*e*) cui *tædas lucidas*, *ſulphur* & ova in luſtratione adhibita fuiſſe, oſtendit Joſephus Lau-

Laurentius *in Variis gentilium ſacris cap.* XVII. & ſic quoque naves egreſſuras adhuc Turcæ luſtrant, teſte Petro Bellonio *de admirabili Operum Antiquorum Præſtantia lib.* III. *cap.* I. Hæc ideo adduxi, quoniam ut plurimum luſtrationes antiquorum igne, ſulphure ac tædis factæ.

NOTÆ.

(*a*) Luſtratio Exercitus qualis fuerit exponitur apud Græviūm *Antiquit. Tom.* X. p. 1560. C.

(*b*) Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. III. cap. XII. Meurſius *in Græc. feriat.* lib. V. voc. ΞΑΝΘΙΚΑ. p. 829. Curtius lib. X. cap. IX. n. 12. Duo loca de Macedonum Exercitus luſtratione obſervatu digna ſunt, alterum Baptiſtæ Crophii *de Antiquit. Macedon.* lib. III. cap. VI. alterum Livii *Hiſtor.* lib. XL. cap. VI.

(*c*) Athenienſium antiquos in urbe luſtranda ritus expoſuit Faſoldus *de Feſt. Græcor. Dec.* VII. Feſt. V. §. VI. VII. VIII. IX. Jonſtonus *de Feſtis Græc.* Part. I. cap. I. n. 9. Meurſius *in Atticis Lection.* lib. IV. cap. XXII. init.

(*d*) Si-

(*d*) Silius *Punicor.* lib. XII. vſ. 750. ſq.

Corpora nunc viva ſparguntur gurgitis unda,
Nunc Anienicolis ſtatuunt altaria nymphis;
Tum feſtam repetunt luſtratis mœnibus urbem.

Sed de his ex aliis fuſius Laurentius *in Variis gentil. Sacr.* cap. XVII. p. 219.

(*e*) Vide Livium lib. XXIX. cap. XXVII.

III.

Neque in ipſis expeditionibus, pugnis, triumphis defuere ignis, funalia, façes. Non loquar de ignibus nocturnis in ſtationibus & caſtris, cujus uſum & originem egregie demonſtravit Joſephus Laurentius *in Variis gentil. ſacris cap.* XXII. p. 240. B. & 241. non de Macedonum more, qui noctu ignes in caſtris ſervare ſolebant teſte Baptiſta Crophio *in Antiquit. Macedon.* lib. III. cap. VI. Quod eſt de diſciplina militari: nec

nec de iis, quibus hoſtem fallebant, qualia paſſim exempla deprehendis apud Livium, Curtium & reliquos antiquæ & recentioris hiſtoriæ conditores, ſed de ipſis, quibus aliquando hoſtem terrebant, facibus, cum exirent in prælium aut in hoſtem ruerent. Jam ille Judæorum Heros Gideon magnam hoſtium vim cum exigua manu trecentorum hominum facibus inſtructa delevit. (*a*) Pagani autem fore ſe aliquo modo victores putabant, ſi furias imitarentur, quas facibus pervagari aciembellumque movere, fama erat allata antiquitus. (*b*)

NOTÆ.

(*a*) *Judicum* cap. VII. vſ. 16. 17. 18. 19. 20. adde Joſephum *Antiquit. Judaic.* lib. V. cap. IX. p. 157. Torniellum *in Annalibus Sacris* Tom. I. p. 670. Ad annum mundi 2761. Buddeum *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti* Tom. I. Per. II. p. 880. Interim vocari in dubium nequit, quod ſolo cantu,

cantu, clamore, ſtrepituque Iſraelitæ hoſtes vicerint, falſumque eſt, quod dicit loco citato Joſephus: ὁρμῆσαι μετὰ τῶν ΛΑΜΠΑΔΩΝ καὶ νικᾷν θεοῦ, βοηθήσαντος. Nec enim in faces aut lampades laus hujus victoriæ redundat.

(*b*) Furiarum tædas ardentes nominat Cicero *in Orat. pro Roſcio.* Sic Bellonaj interfuiſſe prælio ad Traſimenum lacum, ſecundo bello Punico, quod fere cum internecione Romanorum initio geſtum eſt, fingitur a Silio *Punicor.* lib. v. vſ. 221.

Ipſa facem quatiens, ac flavam ſanguine multo
Sparſa comas medias aciem Bellona perrat.
Stridit Tartareæ nigro ſub pectore Divæ
Letiferumque murmur feralique horrida cantu
Buccina lymphatas agit in certamina mentes.

Idem de oppugnatione Sagunti lib. II. vſ. 609.

Quæ poſtquam congeſta videt feralis Erinnys,
Lampada flammiferis iractam Phlegethontis ab undis
Quaſſat & inferna ſuperos caligine condit.

V I.

I V.

Apud Græcos lego Vatem lauro coronatum *Facemque* geſtantem in acie præceſſiſſe, a quo milites religioſe abſtinuerint. (*a*) Imminente belli diſcrimine Macedones orto nondum ſole in monte ſacra faciebant *collucentibus* undique *Facibus*. (*b*) Fidenates, qui A. V. C. CCCXXVIII. a Romanis defecerant, obſeſſique ab his repente patefactis Fidenarum portis eruperunt. Nova erat acies inaudita ante id tempus inuſitataque; ignibus armata ingens multitudo *Facibuſque ardentibus* tota *collucens* velut fanatico inſtincta curſu in Romanos ruit, formaque inſolitæ pugnæ parumper exterruit. (*c*) Anno A. V. C. CCCIXCIX. Iterum Faliſci Tarquinienſeſque alterum Romanorum Conſulem fuderunt; ac inde maximus fuit terror,

terror, quod Sacerdotes Faliſcorum & Tarquinienſium *Facibus ardentibus anguibusque* prælatis inceſſu furiali militem Romanum inſveta turbaverant ſpecie. (*d*) Tiburnam, dum caperetur Saguntus, indutam armis viri læva manu *Lampada* geſtantem dicunt. (*e*) Annibal quoque a Fabio obſeſſus lymphaticum terrorem eo modo Romanis intulit, ludibrium oculorum ſpecie terribili ad fruſtrandum hoſtem commentus Annibal, principio noctis furtim ſuccedere ad montes jugumque Calliculæ prope Caſilinum ſtatuit. Fallacis conſilii talis fuit apparatus, faces undique ex agris collectæ, faceſque virgarum atque arida ſarmenta præligantur cornibus boum, quos domitos indomitoſque multos inter cæteram agreſtem prædam agebat, ad duo millia ferme boum effecta; Aſdrubalique negotium datum, ut

pri-

primis tenebris noctis id armentum cornibus accenſis ad montes ageret. Primis tenebris ſilentio mota caſtra, boves aliquanto ante ſigna acti, ubi ad radices montium viaſque anguſtas ventum eſt, ſignum extemplo datur, ut accenſis cornibus armenta in adverſos concitentur montes, & metus ipſe relucentis flammæ ex capite, calorque jam ad vivum imaque cornuum perveniens, velut ſtimulatos furore agebat boves, quo repente diſcurſu haud ſecus, quam ſylvis montibuſque accenſis, omnia circum virgulta ardere: capitumque inquietatio excitans flammam hominum paſſim diſcurrentium ſpeciem præbebat. Qui ad tranſitus ſaltus inſidendos locati erant, ubi in ſummis montibus ac ſuper ſe quoſdam ignes conſpexerunt, circumventos ſe eſſe rati, præſidio exceſſere; qua ingens emicabat flamma velut tu-

tiſſimum iter petentes ſumma montium juga: tum in quoſdam boves palantes a ſuis gregibus inciderunt, & primo quum procul cernerent, veluti flammas ſpirantium veluti attoniti miraculo conſtiterunt: deinde ut humana apparuit fraus, tum vero inſidias eſſe rati cum multo maximoque ſtrepitu concitant ſe in fugam, levique armaturæ hoſtium incurrere: cæterum nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Annibal traducto per ſaltum, & quibuſdam in ipſo ſaltu hoſtium oppreſſis in agro Alifano poſuit caſtra. (*f*)

N O T Æ.

(*a*) Verbis utor Feithii *in Antiquit. Homeric.* lib. IV. cap. XIV. & Laurentii *de Variis gentil. Sacris* apud Gronovium *Antiquit.* Tom. VII. p. 152. C. Adde Herodotum lib VIII. init. Euſtatium *ad Iliad. Homeri* M. fol. 893, lin. 13. Philonem *in Vita Moſis* lib. I. E-

I. Eraſmum *Centur.* x. *Adag.* 26.

(*a*) De Alexandro magno Curtius lib. III. cap. VIII. n. 22. *Alexander*, ſcribit, *cum in jugum editi montis aſcendiſſet, multis collucentibus facibus patrio more ſacrificium Diis præſidibus loci fecit.* Cauſam fuiſſe arbitror, quod nondum diſcuſſis tenebris ſacra fierent, quale eſt exemplum in Curtii lib. IV. cap. VI. n. 10. Conf. Crophius *in Antiquit. Macedon.* lib. II. cap. I.

(*c*) Livius lib. IV. cap. XXXIII. conf. Florus lib. I. cap. XII.

(*d*) Livius lib. VIII. cap. XVII.

(*e*) Silius *Punicor.* lib. 12. vſ. 665.

Ecce inter medios cædum Tiburna furores
Fulgenti dextram mucrone armata mariti,
Et læva infelix ardentem lampada quaſſans,
Squalentemque erecta comam ac liventia planctu
Pectora nudatis oſtendens ſæva lacertis
Ad tumulum Murri ſuper ipſa cadavera fertur.

(*f*) Narrant Livius lib. XXII. cap. XVI. XVII. Plutarchus *in Fabio* cap. XI. & XII. Polybius *Hiſtoriar.* lib. III. cap. XX. Eutropius lib. III. cap. IV. fin. Florus lib. II. cap. VI. p. 52. Verſus Silii *Punicor.* lib. VII. vſ. 347. ſqq. adſcribo.

- - - - *diſcurrit teſſera caſtris*
Intentique docent, quæ ſint properanda monentque
Quiſque ſuos: inſtat trepidus, ſtimulatque ruentes
Navus abire timor; dum cœca ſilentia dumque
Majores umbræ, rapida jam ſubdita peſte
Virgulta, atque altis ſurgunt e cornibus ignes.
Hic vero ut gliſcente malo & quaſſantibus ægra
Armentis capita, adjutæ pingueſcere flammæ
Capere, & vincens fumos erumpere vertex,
Per colles dumoſque lues agit atra, per altos
Saxoſi ſcopulos montis, lymphata feruntur
Corpora anhela boum, atque obſeſſis naribus igni
Luctantur fruſtra rabidi mugire juvenci.
Per juga, per valles errat Vulcania peſtis,
Nuſquam ſtante malo, vicinaque littora fulgent,
Quam multa adfixus cœlo ſub nocte ſerena.
Fluctibus e mediis ſulcator navita Ponti
Aſtra videt, quam multa videt, fervoribus atris
Quum Calabros urunt ad pinguia pabula ſaltus,
Vertice Gargani reſidens incendia paſtor.

At

At facie ſubita volitantum in montibus altis
Flammarum, queis tunc cecidit cuſtodia ſorti,
Horrere, atque ipſos nullo ſpargente vagari
Credere & indomitos paſci ſub collibus ignes.
Cœlo ne exciderint, & magna fulmina dextra
Torſerit omnipotens, an cæcis rupta cavernis
Fuderit egeſtas accenſo ſulphure flammas
Infelix tellus, media formidine quærunt.

Factum hoc eo loco, quo Annibali juga Falerni vineæque in oculis. Natum ibi vinum, indomitum vocat Mercurialis *de Potion. & Edul. Antiq.* cap. III. Nec tamen illa advineas colendas nata regio Annibalem ita enervavit, quam ipſum Campaniæ vinum, quod muliebre, effæminatum ac ſcorta trahens agmen Annibalis ſiſtit poſteritati. Id vinum hoc nomine perſtringit Turnebus *de Vino* apud Gronovium *in Antiquit. Tom.* IX. p. 533. E.

V.

Rebus bello feliciter geſtis ſequebantur ſpolia ac triumphi. De ipſa triumphali pompa & oratio-

nis ritu memoriæ alii prodiderunt. (*a*) Faces uti tenuerunt, qui prælium inibant, ita facibus & funalibus quoque prælucere ſibi triumphantes juſſerunt. Triumphalibus epulis peractis, de quibus alibi ſermonem inſtitui,& nunc pleraque Fabrum *in Agoniſtico* lib. II. cap. XIX. nec non Laurentium *de Prand. & cœna Veter.* cap. IX. congeſſiſſe moneo, Imperatores aut Conſules, quorum conſilio res Romana creverat, funalia accendi, tibiaſque canere curaverunt. (*b*) Quid illius Duillii, qui primus navali prælio Romanorum gloriæ infenſos Carthaginenſes vicerat, in Romanorum annalibus celebrius? Quanta hujus victoriæ navalis fuerit lætitia, Columna illa roſtrata indicat, quæ in Capitolio Duillio Conſuli dicata fuit. (*c*) Ipſe Duillius, ne unquam ex animis victoriæ laus efflueret, Senatu conſentiente, quoties

ties ex coena redeuntem conſpicias funalia ſibi præferre tibiasque canere jubet. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Vide Bulengerum *de Triumph. Spol. bellic. & tropais* cap. XXIV. XXV. XXVI. & XXXIII. Robertum Valturium *de Re militari* lib. XII. cap. I. II. III. ſq. Picturam omnis pompæ habes apud Meurſium in *Iconib. Romæ Veteris* p. 185. *& in Iconibus Romæ novæ* p. 256.

(*b*) Petrus Faber *Semeſtr.* lib. I. cap. VI.

(*c*) Non hic eſt ille Duillius, qui Æquorum exercitui præerat, de quo Vertot *dans l'Hiſt. des Revolut. dans la Republ. Romaine Tom.* I. liv. IV. p. 274. Nec ille, qui anno Romæ CCCV. floruit, de quo *idem Tom.* II. liv. VI. p. 75. 76. 78. Sed ille claſſis maritimæ præfectus, qui anno V. C. CCCXC. cum primis inclaruit. Huic de Poenis triumphanti in Capitolio columna roſtrata erecta, de qua vide Gronovium *Antiquitat. Tom.* III. lit. F. Fleetwod *in Inſcript. Antiq. Sylloge. Part.* I. (*Prod. Londini* CIↃIↃCXCI. in 8.) Panvinium *in Comm. de Triumph. Romanor.* p. 10. Jacobum Laurum *Antiquit. Roman.* Part. III. Tab. XVI. Qui cum Onuphrilo depinxit, & Miſſonium *dans le Nouv. Vojage d'Italie Tom.* II. lett. XXVI. p. 119. Conf.

Mr. le Clerc *dans la Biblitoheque univerſ. Tom.* xx. p. 249. & Mariſottus *in Orbe maritimo* lib. I. cap. xxvii. p. m. 176. Inſcriptio addita ſequens Baſi Columnæ:

C. DUILIUS. M. F. M. N. CONSUL. SEGESTAN. OPIDOM. OBSIDIONE. EXEMIT. LEGIONES. ROMANAS. PERICULO. MAXIMOS. MAGISTRATUS. LIBERAVIT. CIVIUM. M. NOVEM. CASTRIS EXFOCIUNT. MACELAM. URBEM. PUGNANDO. CEPET. ENQUE. EODEM. MAGISTRATU. EN. NAVEBOS. MARI. CONSUL. PRIMOS. CESSIT. CLASSESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVIT. PALMA. CUMQUE. EIS. NAVIBUS. CLASSES. POENICAS. OMNES. SUMMAS. COPIAS. CARTHAGINENSES. PRÆSENTE. HANNIBALE. DICTATORE. OLLORUM. IN. ALTO. MARI. PUGNANDO. CUM. QUINQUE. NAVIBUS. ET. CUM. SOCIIS. SEPTEREMEM. BIREMOSQUE. TRIREMOSQUE. NAVES. X. CEPIT. EQUE. NAVALE. PRÆDA. POPLO. NUMOS. DONAVIT.

De ipſa navium roſtratarum forma vide Lazarum Bayſium *de Re Naval.* p. 592. 593. Roſtratas quoque coronas fuiſſe antiquis oſtendit J. C. Bulengerus *de Triumph. Spol. bellic. & Tropæis* cap. xiii.

(*d*) Au-

(*d*) Autores habeo Ciceronem *in Catone* cap. XIII. Valerium Maximum lib. VI. cap. I. *Epitomen* Livii XVII. Freinſhemium *in Supplem. Livian.* lib. XVII. cap. XII. Fabrum *in Agoniſtico* lib. II. cap. X. Seldenum *de mari clauſo* lib. I. cap. XIV. Stypmannum *de Navigat.* lib. I. cap. VI. Schoockium *de Imper. marit.* cap. VI. Silius *Punicor.* lib. VI. vſ. 663. in Linternenſium templo fingit bellum primum Punicum fuiſſe depictum, ſicut Trojanum Virgilius in templo Carthaginenſium aſſerit, in eoque laudes inprimis Duillii ſummoſque honores habitos.

Æquoreum juxta decus & navale tropæum
Roſtra gerens nivea ſurgebat mole columna.
Exuvias Marti donumque Duillius alto
Ante omnes merſa Poenorum claſſe dicabat.
Cui NOCTURNUS HONOS, FUNALIA CLARA, ſacerque
Poſt epulas tibicen adeſt, caſtoſque penates
Inſignes læti repetebat murmure cantus.

Quo magis ea eluceſcant, evolve locum de Mr. Vertot *dans l'Hiſt. des Revolut. dans la Republ. Romaine.* Tom. II. livr. VIII. p. 231.

V I.

Duillium bellis Punicis tantum gloriæ adeptum imitatus Cæſar devicta Gallia ſpecioſiſſime triumphavit. Luminibus omnia plena, facibus debellatæque gentis ſpoliis Romæ conſpexeris, autoribus *Dione Caſſio* (*a*) & *Suetonio.* (*b*) Neronem fatis functo Cæſari ejuſque poſteris, triumphum eo modo adornaſſe lego. (*c*) Tito quoque Veſpaſiano confecto bello Judaico (*d*) effigies dedicata fuit, in qua depictus ipſe, prælato inſuper Candelabro aureo cum ſeptem lucernis è templo Judaico, quod everterat, antequam ad tanti ſpem imperii accingeretur. (*e*) Deinde Severum Imperatorem, qui exeunte ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo floruit, commemorant urbem luminibus (*f*) fulgentibus acclamante omni populo intraſſe. Gallienum (*g*) Romam

mam curſu rapido intrantem, quaſi magnnm aliquid geſſiſſet & decennia novo ludorum genere celebrantem mulieres cereis, lampadibus facibuſque comitatæ leguntur. Fulgere currus Imperatorum (*b*) inauratos gemmiſque exornatos ad inſtar luminum præterea Horatius canit. Demum in omnibns aris triumphantibus ignis, (*i*) ne quid pompæ deeſſet, affulſit. Aris flammiſque Alexandrum magnum Babylonios excepiſſe poſt alios Modius *de Triumphis Veterum* lib. I. cap. VI. annotavit.

N O T Æ.

(*a*) Dio Caſſins lib. XLIII. p. m. 147. τῇ δὲ τελευταίᾳ.

(*b*) Suetonius *in Julio cap.* XXXVII. Adde quæ habet Modius *de Triumphis Veter.* lib I. cap II. & Sigonius *de Triumphis Romanor.* Scriptum reliquit Freinshemius *in Supplement. Livianis Tom.* VIII. *lib.* CXV. *cap.* XII. Cæſarem eo die, quo Gallicum triumphum adornaverit, axe confracto excuſſum curru

triumphatoris. Deinde, cum alius inſtrueretur, repente ſubortas tenebras, at Cæſarem ad lumina Capitolium adſcendiſſe, elephantis quadraginta a dextra & læva lychnuchos geſtantibus.

(*c*) De Neronis Triumpho videndus Modius *de ludis & ſpectacul. Veter.* lib. II. cap. VII. ac de ingreſſu Titi datis in urbem triumphali Franciſcus Modius *de Triumph. Veter.* lib. I. cap. XVI. Atque hic quidem Nero ad inſaniam uſque ludis certaminibuſque indulſit Teſtis locuples van Dalen *in Antiquit. Diſſ.* VII. *cap.* II. p. 544. *Longe aliter Nero* (ac Auguſtus & Hadrianus) *cujus dicta ac facta quam plurima non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes, loco Panegyriarchæ vel Agonarchæ ipſe & hiſtrio & citharoedus & aurigator & neſcio, quid non aliud fuerit?*

(*d*) Veſpaſiani de Judæis Triumphum exponit Joſephus *de Bello Judaico* lib. V. cap. IX. Modius *de Triumph. Veter.* lib. I. cap. XVII. Jam quondam Rebus Romanis in diſcrimen adductis fingunt, Jovem de Titi Triumpho ſubſequentia proxime verba ad Venerem feciſſe, ut graviter afflictam conſolaretur apud Silium *Punicor. lib.* III. vſ. 603. ſq.

Tum juvenis magno præcellens robore mentis
Excipiet patriam molem, celſuſque feretur
Æqua-

Æquatum imperio tollens caput. Hic feræ gentis
Bella Paleſtinæ primo delebit in ævo.

Arcui ejus triumphali inſcriptum :

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AUGUSTO.

Autor mihi Modius d. lib. I. cap. XXIX.

(*e*) Bulengerus *de Triumph. Spol. bellic. & Tropæis* cap. II. Conf. Villalpandus Tom. II. p. 587. & Joſephus *de bello Judaico lib.* VII. *cap.* XIX. Petrus a Ludewig *de Differ. Jur. Rom. & G. in tit. Imper. Diff.* X. not. qq.

(*f*) Modius lib. I. cap. XVIII. *Comitabatur*, ait, *eum omnis exercitus, pedites, equiteſque armati conſequebantur, ſuitque illud ſpectaculum longe magnificentiſſimum. Nam tota urbe floribus & laureis ornata, variis veſtibus in magno ſplendore luminum & ſuffimentorum populus acclamabat albatus lætuſque.*

(*g*) Modius lib. I. cap. XIX. *Jam primum*, inquit, *inter togatos patres & equeſtrem ordinem albatis militibus & omni populo præeunte ſervis etiam prope omnium & mulieribus cum cereis, facibus, lampadibus præeuntibus Capitolium petiit.* Inſcriptio arcus Gallieni apud eundem Modium lib. I. cap. XXXII. deprehenditur.

(*h*) Bulengerus cit. tr. cap. XX. Horatius *Satyrar.* lib. I. *Satyr.* VI.

Et fulgente trahit conſtrictos gloria curru,
Non minus ignotos generoſis.

Gronovius *Antiquit.* Tom. XI. p. 917. F.
(*i*) Ovidius *de Ponto* lib. III. *Eleg.* III. Summam totius in Capitolium itineris habes apud Bulengerum *de Triumph. Spol. bellic. & Trop.* cap. XXXIII. Gronovium *cit.* Tom. XI. p. 946. & ſeqq.

VII.

Hæc de Martio illo ludo. Jam de reliquis ludis, quibus adhibita lumina antiquitas prædicat, dicendum. Græcis frequentiſſima lampadum certamina At illa, quoniam diebus ſacris ut plurimum annumerantur, vix mihi de ludis Græcorum dicturo, quæ dicam, relinquunt. Celebrantur cum primis *Promethea*, *Panathenæa* & *Hephestiæa.* At dixi de illis ſupra capite de rebus ſacris, & dixit Meurſius *in Græcia feriata lib.* V. voc. λαμπάς. De *Bendideis* ergo Dianæ quædam afferam. Ea qui-

quidem Thraces in honorem Dianæ agere ſolebant, (*a*) quibus etiam ipſa Diana dicta βένδις. Thraces ſecuti cives Attici eadem celebrarunt, (*b*) & quidem in Piræeo portu florente Platone. Lampadarium certamen in iis actum fuiſſe doctiſſimus *Simplicius* ſcribit: (*c*) quamvis autem hunc imperitiæ hoc nomine arguunt Viri docti, quod lampadarium ipſis in Bendideis habitum fuiſſe ſcripſerit, ut quod poſtridie in Panathenæis minoribus ageretur, tamen de illo hic loqui, quam tacere plane malui. Id cum primis hoc te loco monitum velim, quod *Faculæ* iis, qui in ludis vicerant, prælatæ fuerint, (*d*) iiſque aliquando qui ſaltantes populo erant ſpectaculo. (*e*)

N O-

NOTÆ.

(*a*) Strabo *Geograph.* lib. IX. & lib. X. p. m. 470. Hopperus male Μενδίδια ſcribit. Palæphatus cap. XXXII. vocat Βενδεῖαν: *Bendideum* Caſaubonus ad Strabonem. p. 471. n. XI.

(*b*) Strabo d. lib. X. p. 471. In portu Munychia culta non ſolum ab Athenienſibus Diana Munychia, verum & Bendidea. Templum ibidum fuit Dianæ Munychiæ ac prope hoc fanum Bendideæ. Autor eſt Xenophon *Hiſtor. Græc.* lib. II. & Meurſius *in Piræeo.* cap. IX.

(*c*) Simplicius *ad Platonis Phyſ.* lib. V. Τάχα τῆς ἐν Πειραιεῖ λαμπάδος τῆς ἐν Βενδιδείοις μνημονεύει. Περὶ ἧς ὁ Πλάτων ἐν ἀρχῇ τῆς Πολιτείας, λαμπὰς ἔσαι, φησὶν, ἀφ' ἵππων τῇ Θεῷ *Fortaſſis lampadum ſolennitatis, quæ in Piræeo per Bendidea celebratur, meminit, de qua Plato in principio Reipublicæ ait: Lampas erit Deæ ab equis.* Fortaſſis inquit doctiſſimus Vir, & fortaſſis fallitur. Ita eſt, miſcet ſimplicius minora Panathenæa cum ipſis Bendideis, quod facile potuit fieri, cum poſtridie Bendideorum Panathenæa minora agerentur. Bendidea in Piræeo vigeſima Thargelionis die acta atque celebrata ſatis aperte oſtendunt verba Procli in Timæum Platonis apud Meurſium *in Panathenæis cap.* VI. Adde quæ habet Meurſius *in*

in Græcia feriata lib II. voc. ΒΕΝΔΙΔΕΙΑ. Petrus Caſtellanus *de Feſtis Græcor.* p. 624. & Jonſtonus *de Feſtis Græcor. Part.* II. *cap.* IV. §. III.

(*d*) Gronovius in *Antiquit.* Tom. VIII. p. 1978. A.

(*e*) Scaliger *de Tragoed. & Comoed. cap.* XIV. p. m. 1525. C.

V I I I.

Apud Romanos potiſſimum hoc nomine ludi Circenſes & Florales laudantur. Ludi Circenſes, qui Agonum ſacrorum loco exhibebantur, (*a*) omnium fuere celeberrimi, (*b*(& reliquis omnibus Romanis potiores. Illi, qui edebant hos ludos tenebris ſubortis dabant faces. Diſpoſitæ laternæ lampadeſque, aliquando enim multa jam nocte Circus innumera ſpectatorum & pugnantium turba fuit frequens, ut noctem adeo funalibus vincere e re videretur. Dein Florales ludi (*c*) facibus ardentibus inclaruerunt. Petu-

tulantur in iis mulieres laſcivæ vagari ſolitæ, (*d*) productæ meretrices apertis adeo nudatiſque pudendis, curſuræ, choreiſque operam daturæ, (*e*) quod ſono tubæ factum referunt. (*f*) Tum noctu accenſis facibus diſcurrebant, lateque omnem Romam pervagabantur. (*g*) Tiberio hos præſertim ludos fuiſſe caros lego, adeo ut diſcedentibus e Floralibus ludis lumen præberet, quo nomine apud Dionem Caſſium lib, LVIII. a Sejano videtur. Adde, quæ canit Ovidius *Faſtorum* lib. v. vſ. 331.

NOTÆ

(*a*) Vide Gronovium *Antiquit.* Tom. VIII. p. 2069. A.

(*b*) Faber *in Agoniſtico lib.* III. *cap.* XXIX. Circus fuit Romæ maximus, ubi agebantur ludi Circenſes. Is in undecima urbis regione ſitus, loca trecenta octoginta millia capiebat, ſeptemque continebat metas, quas aurigæ circumibant, nec non portas duodecim, per quas decurrebant. Pancirollus *in Notit.*

Notit. Dignit. Imper. Occident. cap. XIII. Non abs re erit meminiſſe, in Cereris honorem, quæ raptam Liberam lugebat, Romanos in ſuo Circo curſum equorum inſtituiſſe. Urſinus *de Famil. Roman.* p. m. 1292. E. Sed dixi de iis alibi copioſe. Romæ demum penitus ſublati, teſte Gronovio *Antiquit.* Tom. VIII. p. 2241. A. Poſtquam ævo adhuc Chriſtianorum Imperatorum aliquantiſper floruiſſent. vid. Gronovinm d. Tom. VIII. p. 2418. A.

(*c*) *Flora*, cujus imaginem & hiſtoriam condidit Ortelius *de Deor. Dearumque capit.* lib. II. fig. LIX. A marito dotis nomine omnem florum accepiſſe poteſtatem creditur. Faulam alii ipſam eſſe exiſtimant, diſſentiente tamen Lactantio *lib.* I. *cap.* XX. & de re ipſa paullo poſt ſequentem in modum differente: *Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, Populum Romanum ſcripſit hæredem certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia, quod quia flagitioſum Senatui videbatur, ab ipſo nomine ſumi argumentum placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præeſſet, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene proſpereque floreſcerent.* Conf. Plinius lib. XVIII. cap. XXIX. Celebrati primum menſe Aprili, quod ſcribit Joſephus Laurentius *de Adulter. & meretric.* *cap.*

cap. III. Deinde menſe Majo, unde mos inolevit, ut plerique juvenum Majum menſem floribus celebrent.

(*d*) Nota ex Valerio Maximo lib. II. cap. III. illa de Catone hiſtoria, quem ridet Martialis lib. I. *Epigr.* I.

Noſces jocoſæ dulce ſacrum Deæ,
Feſtoſque luſus & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideo tantum veneras ut exires?

Innuere videtur verbis elegantiſſimis Seneca *Epiſt.* XCVII. *Erras, ſi exiſtimas noſtri ſeculi eſſe vitium luxuriam & negligentiam boni moris & alia, quæ objicit ſuis quiſque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacavit a culpa: Et ſi æſtimare licentiam cujuſque ſeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt.*

(*e*) Martialis lib. I. *Epig.* XXXVI.

Quis Floralia neſcit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Populo leviſſimo hoc nomine aliquid dandum exiſtimabant patres, ipſiuſque ſtultitiam ridebant, non leones, non pantheras, ſed lepores in theatrum deducendo. Conf. Rhodiginus *Lection. Antiquar.* lib. XXV. cap. XXX. Unde nomen popularium ſacrorum deſcen-

ſcendere exiſtimo, quod his ludis proprium. Turnebus *Adverſariorum* lib. xxx. cap. xxx. Quid enim magis populare, quam meretrix, aut quæ plebi res frequentior, quam ſtuprum ac fornicatio?

(*f*) Juvenalis *Satyra* vi. vſ. 249. ſq.

(*g*) Alexander ab Alexandro *genial. dier.* lib. vi. cap. viii. & Lactantius *Divinar. Inſtitut* lib. i. cap. xx. add. Laurentius *de Conviv. Veter.* cap. iv. p. m. 184. F.

I X.

Romani quandoquidem Imperatores ſpectacula ludoſque ad lumina, quo magis eſſent illuſtria, adornarunt. Ita Cæſar, (*a*) Nero iis, quos pro æternitate imperii ſuſcepit, ludis conceſſit, ut Scenici ardentis domus ſupellex diriperetur. Domitianus, qui magnifica aſſiduo & ſumptuoſa ſpectacula in Amphitheatro & Circo edidit, (*b*) noctu ad lychnulos venationes gladiatoreſque noctibus ad lychnulos nec virorum modo pugnas, ſed fœminarum quoque exhibuit. (*c*) Phi-

Philippus Arabs imperii anno ſecundo ludos Scenicos in Pompeji theatro adornavit, quos diebus tribus, totidemque noctibus (mirum dictu) pervigil populus ſpectavit, funalibus ac lychnis tenebras vincentibus. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Modius *de ludis & Spectac.* lib. II. cap. V. Gronovius *Antiquitatum* Tom. XI. p. 1019. C. ſqq. fuſius Neronis ludos proſequuntur. Cæterum, quod ludos triumphales ediderint, Romanorum Heroum exemplo declarat Faber *in Agoniſtico* lib. I. cap. XXIX. Modius *lib.* II. *cap.* XVI. uſque ad XXXVIII. Bulengerus *de Spol. bellic. trop.* &c. cap. XXXV.

(*b*) Modius *lib.* II. *cap.* IX. Addo Suetonium *in Domitiano.* cap. IV. Ea tamen hoc ævo fœdæ adulationis vis, ut hunc Domitianum non Fabio non Camillo inferiorem prædicet Silius *Punicor.* lib. III. vſ. 607. ſqq.

At tu tranſcendens, Germanice, facta tuorum,
Jam puer auricomo performidate Batavo,
Nec te terruerint Tarpeji culminis ignes:
Sacri-

Sacrilegas inter flammas ſervabere terris,
Nam te longa manent noſtri conſortia mundi.
Huic laxos artus olim Gangetica pubes
Submittet, vacuaſque oſtendent Bactra pharetras.
Hic & ab Arctoo currus aget axe per urbem,
Ducet & Eoos Baccho cedente triumphos.
Idem indignantem transmittere Dardana ſigna
Sarmaticis victor compeſcet ſedibus Iſtrum.
Quin & Romuleos ſuperabit voce nepotes,
Queis erit eloquio partum decus. Huic ſua Muſæ
Sacra ferent, meliorque lyra, cui ſubſtitit Hebrus
Et venit Rhodope, Phoebo miranda loquetur.
Ille etiam, qua priſca fides, ſtat regia nobis
Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget noſtro templorum culmina cælo.

(*d*) Modius *de Lud. & Spectac. Veter.* lib. II. cap. XV. Gronovius d. Tom. XI. p. 1027. E.

CAPUT NONUM.

De Luminum Cultu ac Uſu in ſtatu oeconomico, nuptiis, puerperiis, conviviis, thermis, proceſſu funerum ac ſepulcris Veterum.

§. I.

BEllis veterum, agonibus atque ludis omiſſis, denique ad res oeconomicas me confero, ac qualis fuerit in iiſdem cultus luminum atque uſus, oſtendo. Hoc primo loco occurrit, quod initio anni & fine luminum uſus admodum fuerit frequens. Menſe Januario, qui fuit anni primus, lucernæ appenſæ ad fores. (*a*) Fine anni ſeptem diebus, ſi addas Sigillaria, Saturnalia habita, quibus cereos & lumina miſſitabant. (*b*) Diebus quoque feſtis templa non

non ſolum Facibus, luminibus, lucernis ornatæ, ſed ædium etiam feneſtræ. (*c*) Ædibus quandoquidem ſuperimpoſitæ lucernæ (*d*) & ſub crepuſculum potiſſimum accenſæ. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Grævius *Antiquit.* Tom. XII. p. 441. B. Eodem die laurea conjecta in ignem, quæ ſi crepitaret optimum eſſe omen credebatur. Bulengerus *de Triumph. Spol. bellic. & Trop. cap.* XVI. unde Tibullus *lib.* II. *Eleg.* IX. canit:

Ut ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix & ſacer annus erat.

(*b*) Habes apud Kippingium *Antiquit. Romanar.* lib. I. cap. X. §. IX. Martialem lib. VII. *Epig.* XXVII.

Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Otia dum medius præſtat tibi parva December,
Excipe ſed certa, quos legis aure jocos.

Adde quæ habet Seneca *Epiſtola* XVIII. & Macrobius *in Saturnal.* lib. I. cap. X.

(*c*) Græevius *d. Tom.* XII. p. 998. B.

(*d*) Græevius *cit. Tom.* XII. p. 439. A.

(*e*) De crepuſculo pauca adjiciam, & dixit Gronovius *Antiquit.* Tom. IX. p. 1050. C. Suprema tempeſtas antiquis dicta, *Serum*, *ὀψία*, *ὀψὲ*, diei noviſſimum tempus, crepuſculum, id eſt, dubium, quod tum dubium ſit, an dies vel nox ſit. Id tempus fere cum veſpera confunditur, abs qua Hebræi diem ſuum inchoabant, Matthæus *cap.* XXVIII. vſ. 58. inquit: *ὀψίας δὲ γενομένης*, i. e. *cum ſerum diei eſſet;* & Joannes cap. XIX. vſ. 19. *οὔσης δ' ὀψίας*, *cum ergo veſpera eſſet.* Nam quia hæc tempora vicina ſibi ſunt, ita, ut finis unius alterius ſit principium, eo fit, ut plerumque inter ſe confundantur. Verbis utor Lalamantii *de Tempor. & ejus Partibus Diſſ.* I. Ipſum crepuſculum aliquando lumina prima dixere. Horatius *Epiſt. lib.* II. *Ep.* II. vſ. 97.

Cædimur & totidem plagis conſumimus hoſtem
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Hæc, nt recte intelligas, notandum, e Samnitium gente nobiliſſima & multis cum Romano P. bellis clara lentos & ignobiles exſtitiſſe gladiatores, qui certamen gladitorum

in

in noctem integri & intacti vulneribus producerent. Cum his Poëtas confert Horatius, qui laudant & laudantur, qui plagas adverſo corpore excipiunt & inferunt, nec tamen læduntur. Crepuſculi autem vox non ſolum temporis veſpertini propria eſt, ſed matutini etiam quandoquidem, ὄρθρον βαθὺ, quaſi *diluculum profundum* Lucas cap. XXIV. inquit. Eſt autem id tempus, cum adhuc multum noctis eſt, nec dum luceſcit, μήτι ἐπιφωσκούσης τῆς ἡμέρας; λίαν πρωῒ dicit Marcus, quod eſt *valde mane* Cap. XVI. vſ. 2. Idem Joannes cap. XX. vſ. 1. dicit Πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, id eſt, *mane cum adhuc tenebræ eſſent.* Crepuſculum matutinum ubi evanuiſſet, Diluculum incipiebat, cum dignoſceretur dies, αὐγὴ, unde ἄρχις αὐγῆς, *in diluculum*, Actorum XX. vſ. 11. & ὄρθρος, ὑπὸ τὸν ὄρθρον, *ſub diluculum*, Actorum V. vſ. 21. Unde & ὀρθρίζειν *diluculo ſurgere* Lucas XXI. vſ. 38. Porro vero diluculo, exortu auroræ, albeſcente cœlo, & exacta prope nocte ſidera Poëtis cadere dicuntur. Virgilius: *Svadentque cadentia ſidera ſomnos.* Sed vide Lalamantium *de Tempor. & ejus Partib. Diſſ.* 1. p. 1049. D. E.

I I.

De nuptiis primo loco dicendum exiſtimo. Mitto ea, quæ ipſos nuptiarum ritus illuſtrant. Dixerunt alii abunde & copioſe. Faces quando in nuptiis accenſæ nunc potiſſimum exponendum. Mos fuit, ut Antiqui *Sponſas* in Mariti domum deducerent. Deductio illa fieri noctu ſolita, (*a*) quod ævo adhuc Neronis obtinuiſſe conſtat. (*b*) Sed nec illorum ſententia repugnat antiquitati, qui ſponſas prima luce deductas aſſerunt. (*c*) Tum dictus *Hymenæus* tum prælatæ *Faces*, (*d*) numero quinque autore Plutarcho. (*e*) Apud Græcos ipſa mater *Facem* tenens deduxiſſe ſponſam fertur. (*f*) Pineas faces accenſas lego, quo nuptis in mentem revocarent, has eſſe illas faces, hæc lumina, quibus miſera quondam Ceres filiam nuptiis thalamisque infauſtis peti-

petitam quæſierit. (*g*) Nec de *Facibus* tantum antiqui loquuntur, verum etiam *ignem* & *aquam* laudant, in limine ædium poſitam, quam tangere ſponſus & ſponſa jubentur (*h*) Idque adeo ad nuptiarum celebritatem pertinere exiſtimabatur, ut ipſum *Sponſum* in Orgiis lumen dicerent, iique, qui tum aderant, acclamarent χαῖρε Νύμφιε, χαῖρε νέον φῶς! (*i*) Reliqua ex his facile rerum intelligentes conjiciant.

NOTÆ.

(*a*) Alexander ab Alexandro *Genial. dier.* lib. II. cap. v. Sextus Pompejus lib. XIV. Valerius Maximus lib. I. cap. v. Catullus *in Epithalamio:*

Veſper adeſt, juvenes conſurgite, Veſper olympo:
Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas,
Jam veniet virgo, jam dicetur hymenæus.

 (*b*) Ta-

(*b*) Tacitus *Annalium* lib. XI.

(*c*) Laurentius *de Sponſal. & Nupt.* cap. I. cautum inprimis, ne motus cœli aut terræ fieret, neve turbatiore cœlo & aëre inquie ſponſa deduceretur. Gronovius *Antiquit. Tom.* VIII. p. 1333. B.

(*d*) Farnabius *ad Ovidii Metamorph.* lib. XII. vſ. 215. Calpurnius Flaccus *declam.* XXVIII. & Lipſius *ad Taciti Annal.* lib. III. p. m. 133. Quod florente jam Homero factitatum, indicat ipſe Homerus *in Iliade* XVIII. Heſiodi, Euripidis, Nonni Dionyſii loca addit Feithius *in Antiquit. Homer.* lib. II. cap. XV. quare de charta in papyrum ſcribere illa nolo.

(*e*) Plutarchus *in Quæſtion. Roman.* cap. II. Alexander ab Alexandro lib. II. cap. V.

(*f*) Laurentius *de Sponſal. & Nupt.* cap. I. Gronovius *Antiquit.* p. 1336. A. Tom. VIII.

(*g*) Caſalius *de Ritu nuptiar.* cap. I. Grævius *Antiquitat. Tom.* VIII. p. 1034. B. p. 1042. E. p. 1126. C. & *Tom.* XII. p. 1000. C. Ovidius *Faſtor.* lib. II. vſ. 555.

Poſt ea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ:
Exſpectet puros pinea tæda dies.

Pinus

Pinus in magno honore antiquis omnique ævo culta. In tutela fuiſſe Cybeles eique in primis caram oſtendit Pignorius *in Magnæ Deum matris & Attid. init.* p. m. 514. F. Nuceſque adeo pineas proprias & ſacras credidere magnæ Deum matri apud Jac. Tomaſinum *de manibus æneis Cecrop. vot. refer.* cap. v. nec a Cereris ſacris alienas exiſtimant. In Theſmophoriis, quibus inclytum magnumque Cereris nomen fuit, ramuli pinus adhibiti, poſitique ſub lecto. Meurſius *in Græc. feriat.* lib. IV. p. m. 793. A. Ipſum Atlantem, nullum fovere impenſius lignum quam pinus credunt. Silius *Punicor.* lib. I. vſ. 205.

Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea ſylva premit, vaſtant cava tempora venti,
Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.

Sæpius mulieres Cererem imitantes pingunt cum pinu, qualis eſt apud Gronovium *in marmor. baſi Coloſſi Tiberio Cæſari erect.* cap. XXVI. inque ludis Iſthmicis coronas e pinu initio, deinde Nemeorum imitatione ex apio, demum e pinu iterum fieri ſolitas, pluribus docet Plutarchus *in Sympoſ. Problem.* lib. v. Quæſt. III. & Faber *in Agoniſtico* lib. II. cap. XXIII. De præſtantia ejuſdem ligni

differit Plinius *Hiſtor.* lib. XVI. cap. XXVI. Cæterum ſanctas fuiſſe tædas nuptiales e pinu factas illa conjugis ad Regulum verba facientis arguunt apud Silium lib. VI. vſ. 447.

Non ego complexus & ſanctæ Fœdera tædæ
Conjugium peto, patrios damnare penates
Abſiſte, ac natis fas dux concedere noctem.

Hæc poëta licentia poëtica. Regulum etenim recuſato etiam conjugis colloquio parvorumque filiorum complexu oſculiſque vitatis Carthaginem revectum oſtendit Freinshemius *in Supplementis Livianis* lib. XVIII. cap. LXV.

(*h*) *Vid. l.66. ff.* §. I. *de Donat. int. Vir. & Uxor. & ad h. Gothofredum*, nec non Varronem lib. IV Briſſonium *de Ritu Nuptiar.* cap. IV. Claſenium *Theolog. gentil. Part.* I. cap. X. §. XIV. *Apud Romanos*, inquit, *ignem & aquam in limine poſitam ſponſa & ſponſus tangere jubebatur, qua etiam nova nupta adſpergebatur.*

(*i*) Firmicus *cap.* XIX. & XX. Sponſus uti nomine lucis venit, ita quoque ipſæ nuptiæ tædarum nomine veniunt & quaſi a potiori denominantur, unde Oraculum Apollinis, cum domo Cæſarum inducta eſſet prægnans Livia cecinit apud Prudentium:

- - *Nun-*

> --- *Nunqunm melius nam cedere Tædæ*
> *Reſponſum eſt, quam cum prægnans nova*
> *nupta jugatur.*

Integrum locum habet Van Dalen *de Oracul. Ethnic. Diſſ.* I. *cap.* XVII. p. 385. conf. Silius lib. XVII. vſ. 71. qui de Syphacis uxore loquitur.

> *Virgo erat eximia ſpecie, claroque parente,*
> *Aſdrubalis proles, thalamis quam cepit*
> *ab altis,*
> *Ceu face ſucenſus prima, tædaque jugali*
> *Vertit opes gener ad Pœnos.*

III.

De nuptiis ad lupanaria tranſeo. Meretrices accenſis lucernis vulgato corpore quæſtum feciſſe, (*a*) inque lupanaribus accenſas fuiſſe lucernas, (*b*) non uno antiquitatis monumento conſtat. Nox favere ſtupris ac fornicationi exiſtimabatur, quod fœdum Neronis exemplum mirifice illuſtrat. (*c*) Sed illa ut a caſtis auribus aliena multis proſequi nolo.

NOTÆ.

(*a*) Audias, ſi operæ pretium fuerit, Horatium *Satyrarum lib.* II. *Satyr.* VII. vſ. 46. ſervum inducentem, qui ad Dominum facit verba.

Te conjux aliena capit, meretricula Davum.
Peccat uter noſtrum cruce dignius? acris ubi me
Natura incendit, ſub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum laſciva ſupinum
Demittit neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior aut formæ melioris mejat eodem.

Sunt, qui verbum *Lucerna* mutant in *Lacerna*, ac ſi clara ſub lucerna, aut veſte tam tenui, ut nuda quaſi videretur meretrix, latuiſſet meretrix. Mihi tamen placuit *Lucerna*, quoniam in more fuit poſitum Romanis, ut ſcorta ad veſperam proſtarent ad lucernas, nec ante nonam diei fas erat illi, copiam ſui facere alicui.

(*b*) Grævius *Antiquitat.* Tom. XII. p. 979.

(*c*) Tacitus *Annal. lib.* XIII. p. 286. *Q. Voluſio,*

Voluſio, inquit *P. Scipione COSS. otium foris, fœda domi laſcivia, qua Nero laſcivia urbis, & lupanaria, & diverticula veſte ſervili in diſſimulationem ſui compoſitus pererrabat, comitantibus, qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent, adverſus ignaros, adeo, ut ipſe quoque acciperet ictus & ore præferret. Deinde ubi Cæſarem eſſe, qui graſſaretur, pernotuit, augebanturque injuriæ adverſus viros fœminaſque inſignes, & quidam ſimili licentia ſub nomine Neronis, multi propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur.* Adde Lipſium *in Commentar. ad cit. lib.* XIII. p. 348.

I V.

Nuptiarum effectus plerumque in prolis procreatione ſeſe exſerit. Natis liberis luſtratio facienda igne & ſuffitu igne ac ſulphure excitato. Dies erat luſtricus, quo nomina liberis indita. Ille erat, quo ſimul expiari ſolebant. (*a*) More Athenienſium die luſtrico circum ignes curſitatum, (*b*) alii totum corpus aqua adſperſerunt eoque modo luſtrarunt. (*c*) Lauros,

ros, felices olivas, rosmarinum adhibere, eque aduſtis aquam elicere, quibus luſtrandi ritus peractus. (*d*) Ita quoque pueros apud Romanos luſtratos conſtat (*e*)

NOTÆ.

(*a*) De luſtrico die vide Laurentium *in Variis gentil. Sacris* cap. XVII. p. 221. Robortellum *de Cognom. & appellat. Imper. apud* Grævium *Antiquit. Roman. Tom.* VII. p. 1142. ſin. Gronovium *Antiquit. Græcar. Tom.* VIII. p. 1434. C. & p. 1440. F. Meurſium *de Puerperio cap.* VII. quo de libro elogium & elegans epigramma vide apud Gronovium *Antiquit Græcar. Tom.* XI. p. 1079. Diei luſtrici originem, quod non ſine cauſa monuit Polydorus Virgilius *de Reb. invent.* lib. IV. cap. IV. Gentiles debent Hebræis, qui etiam ſponſas adigebant, ut corpus aqua frigida abluerent illa die, quæ diem nuptiarum excipiebat. Toto autem corpore immergi neceſſe erat. Buxtorffius *in Synag. Judaic. cap.* XXVIII.

(*b*) Ita Perſius *Satyra* II.

Ecce avia aut metuens Divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella

Inſa-

Infami digito & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

(*c*) Macrobius *Saturnal.* lib. III. cap. I.

(*d*) Vide Turnebum *Adverſar.* lib. XIII. cap. XXI. ubi de luſtrationibus veterum multa præclare diſſerit.

(*e*) Ita ſcripſit in hanc rem Laurentius *de Natalit. Conviv. cap.* III. Apud Græcos & Athenienſes præcipue infantes quinto poſt partum die, ſive ex aliis, ſeptimo, ſacrificiis quibuſdam, circumgeſtatione celeri circa focum, cum donorum miſſionibus luſtrari conſueverunt; & decimo illis nomina impoſita, convivia agitata ſumma cum alacritate. Apud Romanos idem factitatum, ſed dies impoſitionis nominis diverſus erat luſtricus dictus, puellis octavus, pueris nonus. Idem d. tr. cap. II. poſtea, inquit, luſtricum infantium diem celebrabant, qui fuit octavus puellarum, nonus puerorum, ex Feſto, Plutarcho & aliis. Hic dies dictus nominalis, ob nominis impoſitionem: quo die puerum luſtrabant, vota pro eo faciebant.

V.

Jam de Conviviis ſermonem inſtituam. *Lucernæ* appenſæ & lumina accenſa, quando veteres diſcumbebant & amicos laute habebant. (*a*) Romanorum more quandoquidem in menſis lampades poſitæ, quæ nunquam exſtinguebantur. (*b*) Procis cum primis, dum epularentur adhuc, præluxiſſe faces Homerus *in Odyſſea* XVIII. ſcriptum reliquit. Sine luminibus atque igne poſſe inſtrui epulas nullo pacto veteres exiſtimabant, unde amicis venientibus majorem poſſe conſpici fumum dixerunt, teſte Seneca *Epiſtola* LXV. Redeuntibus à cœna ac domum abeuntibus lucernæ præiverunt. (*c*) Soli Lacedæmones, quod vix diebus cæteris uſitatum reperias in Syſſitiis ſuis domum ſine lucerna redibant. (*d*)

N O-

N O T Æ.

(*a*) Horatius *Carmin.* lib. I. *Od.* XXVII.

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat, impium
Lenite clamorem ſodales
Et cubito remanete preſſo.

Idem alio loco Carm. lib. IIX. *Od.* VII. Mæcenatem hortatur, ut vigiles in lucem proferat lucernas, ac dixerit, ut perpotando noctem integram fallat.

Sume, Mæcenas, cyathos amici
Soſpitis centum, & vigiles lucernas
Profer in lucem: procul omnis eſto
Clamor & ira.

Conf. ſi eſt volupe ejuſdem *Satyr. lib.* II. *Sat.* VII. vſ. 32. 33. & Julius Bulengerus *de Conviv. Antiq.* lib. III. cap. XXV. & lucernas accendere oportebat omnino, quoniam plerumque noctu & ſubortis tenebris epulæ habitæ, quod annotavit Laurentius *de Prandio & cœna Veterum* cap. III. Optimus eſt locus Silii P*unicor. lib.* III. vſ. 227. De Annibale, qui Capuam ingreſſus tenebris obortis convivio excipiebatur.

In-

Inſtituunt de more epulas, feſtamque per urbem
Regifice exſtructis celebrant convivia menſis.
Ipſe Deum cultu & ſacro dignatus honore
Præcipuis, multoque procul ſplendentibus oſtro
Accipitur ſublime toris: non una miniſtri
Turba gregis; poſuiſſe dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre,
Nec non & certis ſtruitur penus, aſpera menſa
Pondera cælati fulgent antiquitus auri
Eripiunt FLAMMÆ *noctem, ſtrepituque moventum*
Murmurat alta domus.

De Convivio Didonis, ubi parietes & laquearia lychnis appenſis fulſerunt vide Feithium *in Antiquit. Homer.* lib. III. cap. V. & Virgilium *Æneid. lib.* I. *circ. fin.* in hæc verba:

Poſtquam prima quies epulis menſæque remotæ:
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis

In-

Incenſi & noctem flammis funalia vincunt.

Præſertim Romanis aurei fuere juvenes ſtantes in ſuggeſtis, quæ conviviis lumen præberent. Appono verſus Lucretii *lib.* II. *init.*

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes,
LAMPADAS IGNIFERAS manibus retinentia dextris,
LUMINA NOCTURNIS epulis ut ſuppeditentur.

Græcis quoque mos fuit ut non die, ſed nocte demum aut veſpera laute cibos ſumerent. Die plerique contenti pane mero intincto. Alii olivis, melle atque id genus rebus aliis uſi in prandio. Romani quoque interdiu victum tenuem ſumebant, Tenebris autem & Græci & Romani corpus lautiori cibo firmarunt epulaſque apparaverunt, quod aliorum teſtimoniis confirmat Feithius *in Antiquit. Homer. lib.* III. *cap.* III. Quid quod lucubratorios habuerint lectos, in iiſque ſemirecti diſcubuerint. Vide Joſephum Laurentium *de Prand. & cœna. cap.* XXI. Chimentellum *in Marmor. Piſan.* cap. XXXI. & de ipſis lucernis conviviorum ſolennitati adhibitis Grævium *Antiq.* Tom. XII. p. 186. C. Lucernarum, funalium, cereorumque uſus

uſus in antiquorum domibus adeo frequens, ut feſti ornatus appellatione laurum lucernaſque complecterentur. Ita interpretamur Tacitum *Annalium* lib. III. p. 99. de celeberrimis Piſonis ædibus loquentem: Fuit inter inritamenta invidiæ domus foro imminens, feſto ornatu, conviviumque & epulæ, & celebritate loci nihil occultum. Sed adi ad Lipſium *in Electis* cap. III. *& in Commentar. ad Taciti* Annal. p. 135. & adde egregium locum Arriani *in Sermonibus Epicteti lib.* I. *cap.* XIX.

(*b*) Græcius *Antiquit. Tom.* V. p. 970. C. & 1032. A.

(*c*) Laurentius *de Prandio & cœna cap.* XV. Gronovius *Antiquit. Tom.* IX. p. 331. A. B. Faces & lucernæ in itinere nocturno laterna incluſæ e cornu incidi ſolita. Plautus *in Amphytrione: Vulcanum in cornu geſtat.* Idem alio loco in Caſin. *Sed eccum progreditur cum corona & lampade.* Athenæus lib. VI. *in Epicharmi ſpe*

Non multum edens, bibenſque, protinus
Diſcedo, lucernam puer nec fert mihi.

Apud Athenienſes Oenoptæ Lychnos funaliaque dabant cœnantibus; ideo oculi dicti; Dicebantur enim magiſtratus Oenoptæ tanquam inſpectores & obſervatores eorum, quæ inter epulas geruntur. Præter enim Pocillatores in conviviis, qui erant nobiliſſi-

biliſſimi juvenes, Oenoptæ etiam erant cœnarum præſides, & Modimperatores, quorum, referente Athenæo lib. x. erat, ex æquo vinum cuivis præbere, & animadvertere, ut ex æquo omnes biberent, item ſuppeditare Lucernas, Ellychnia & alia: *οἰνόπτας* etiam vocabant *ὀφθαλμοὺς*: Athenæus *οἰνοφύλακας* dixit.

(*d*) Græevius *Antiquit.* Tom. XII. p. 186. D. Noctu quoque incedere ad lumen non licuit lege prohibitis, ne quidem adultioribus integrum facibus accenſis vias in tenebris pervagari docente Cragio *de Republica Lacedæmon. lib.* III. *cap.* I. *Tab.* V. *Inſt.* VIII. & ſolebant ante noctem plerumque diſcedere convivæ (Athenæus lib. v.) quod diebus feſtis præſertim obtinuit. Aliquando tamen in magnam noctis partem productæ comeſſationes, unde nocturnæ deambulationes & prælatæ abeuntibus lucernæ. Feithius *in Antiquit. Homer.* lib. III. cap. V. circ. fin.

V I.

De conviviis tranſeo ad thermas & balnea in quibus præſertim ut corpus curarent, operam dederunt veteres. Thermæ ac Balnea in honore magno antiquis fuerunt, iis præſertim, quibus vaga

vaga & præceps libido. Sed cum abuſus tollere rem ipſam nequeat, balnea non minus cara fuiſſe Romanorum Imperatoribus legimus, quam reliquis. Oſtiis balneorum Dii & genii inſculpti, (*a*) ac ſi præſens aliquod numen balnea oſtentarent. Lychni & luminaria in iis appendebantur, illud memoria dignum exiſtimo, quod cum thermæ non ante Solis ortum paterent, nec vergente quiſquam die intromitteretur, lychnos tamen ubique ardentes conſpicias. (*b*) Hos equidem lychnos æreos fuiſſe invenio. (*c*) Hora, qua lavarentur & corpus abluerent fuit octava ad nonam. (*d*) Imperator tandem Seuerus (*e*) *addidit oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur.*

N O-

NOTÆ.

(*a*) Laurentius *de Medic. & Baln.* cap. II. Balneum eleganter exprimi ære curavit Gronovius *Antiquit. Tom.* IX. p. 638. ac tanti quidem æſtimarunt balnea veteres, ut e publico ærario inſtruerent. Habes apud Plinium juniorem lib. x. *Epiſt.* XXV. Thermas omnino inter urbis ornamenta refert Caſalius *de Thermis & Baln.* p. m. 635. C. ergo Romani urbis ſuæ ornamento conſulentes ad DCCCLVI. eorum extrui curaverunt teſte Pancirollo *in Notit. Dignit. Imper. Occident.* apud Græyium *Antiquit. Romanar.* Tom. VII. p. 1784. C.

(*b*) Utrumque refert Laurentius *de Medic. & Baln. cap.* II. Balnea, ait, clauſa ante ſolis occaſum & aperta non ante auroram: & quamvis ſub coenam eſſet hora lavandi in thermis; attamen Pollio Vitruvius *lib.* V. *cap.* X. ait: Tempus lavandi a meridiano ad veſperam conſtitutum eſt. Aliter tamen alio tempore, octava nempe hora propria & deſtinata. Balneis, antequam cœna inſtrueretur, uſos alio loco etiam Laurentius *de Conviv. Antiquor.* cap. VI. docet. Addo ad ea, quæ ex Laurentio retuli, ſequentia e Marliani *Topographia Urbis Romæ* lib. IV. cap. VII. fin. Alexandrum Imperatorem demum oleum luminaribus addidiſſe, deputatis ſylvis, admiſſiſque omnibus, qui animi aut

aut lavandi cauſa accedebant, cum ante thermas non niſi orto ſole intrarent & ante occaſum clauderent, quo caſu luminaribus accenſis præferre facem diei abſonum fuiſſet.

(*c*) Grævius *Antiquitat.* Tom. XII. p. 326. fin.

(*d*) Ita Caſalius *de Therm. & Bal.* p. 642. B.

(*e*) Lampridius *in Alexandro Severo* cap. XXIV. Confer Salmaſium ad Spartiani *Adrianum* cap. XXII.

VII.

Converto me denique ad Proceſſus funerum & lucernas veterum ſepulcrales, de quibus quamvis plurima dici poſſint, pauciſſima tamen affero. Dixerunt alii copioſe & integris Voluminibus proſequuti fuerunt. Id primo loco monendum exiſtimo, quod in luctu nec focum nec lumina haberent veteres, quin potius vitio verteretur moerore oppletis, ſi lumina accenderent. (*a*) Sed funeribus efferendis & ipſis demum ſepul-

ſepulcris adhibitas faces lucernaſque omnis loquitur antiquitas.

NOTÆ.

(*a*) Pluribus rem illuſtrant Meurſius *de Funere* cap. XLIX. Claſenius *in Theolog. gentil. lib.* I. *cap.* X. §. XXX. Nec non Græviús *Antiquit.* Tom. XII. p. 1120. B. De Perſis eadem prædicat Diodorus Siculus *Bibliothecæ* lib. XVII. & de Mexicanis omnino videndi Puteanus *de Biſſextis* cap. VIII. Grævius *cit. loco Tom.* VIII p. 438. C. D. De atratis in funere parietibus memoriæ prodidit Modius *de Ludis & Spectac. Veter.* lib. II. cap. X. Moerorem in tenebris tranſigendum finiri demum in campis Elyſiis ſibi perſuaſum habebant: hos quippe à lumine, aſtris, vento laudant, autore Claſenio *in Theologia gentili Part.* II. *cap.* XI. §. VII.

VIII.

De luminum Uſu in proceſſu funerum non pauca ſuperſunt antiquitatis monumenta. (*a*) Illi qui funus proſequuntur cereas, candelas, funalia, faces manibus geſtabant. Donatus id obtinuiſſe cen-

cenſet, quod noctu cadavera olim efferri ſolita, (*b*) idque tam Græcorum quam Romanorum more. Minora præſertim & immatura funera ad cereos faceſque elata. (*c*) Faces eæ antiquitus e funibus, poſtea vero e ſcirpo fieri ſolitæ. (*d*) Ipſi Chriſtiani, qui tribus prioribus a Chriſto nato ſeculis floruerunt, corpora defunctorum obortis tenebris humare ſolebant, ne quem furoris pagani impetum ſuſtinere cogerentur illi, qui funus proſequebantur. (*e*) Cryptæ ſepeliendis corporibus deſtinatæ admodum tenebroſæ, (*f*) unde ſi quis deſcenderet corporis ſepeliendi cauſa ſine lumine nihil agebat. Quid de Judæis ipſis multa commemorem? horum quippe moribus lumina ad cadaver nondum elatum atque conditum accenſa. (*g*) Chriſtiani ad ſepulcra ſuorum, uti Judæi ad cadaver, lumina, lampadeſ-

que accendebant, donec decretum concilii ſeculo quarto abuſum, in quem degeneraverat uſus, coërceret. (*b*) Pagani mortuis adeo aras appoſuerunt, in quibus odores accenſi, ad arcendam graveolentiam majoriſque ſplendoris ergo. Ea accerra indigitabatur, quod Graeci προτίθεσθαι, Latini *collocare* dicunt. (*i*)

NOTÆ.

(*a*) De facibus, cereis, atque funalibus in exequiis veterum ſcripſit Joſephus *de Funer. Antiquor. cap.* I. & IV. Adde, quæ habet Grævius *in Antiquit.* Tom. XII. p. 1000. D. & p. 1394. B. D. de cereis ac facibus in funere puerorum, Nobilium ac Regum.

(*b*) Lipſius *ad Annales Taciti* lib. III. p. 133. Laurentius *de Funer. Antiquor. cap.* IV. Gronovius *Antiquit. Tom.* XI. p. 1188. E. De eo ſatis conſtat quod ſummo mane olim funera elata fuerint. Meurſius *de Funere* cap. VII. Callimachus *Epigrammate* XXV. Autor hujus legis Solon ac Demetrius Phalereus vel hoc nomine laudandus. Neglectum tamen deinceps a Græcis, quibus lex illa ſcri-

pta, & funera multa luce per frequentem popnlum elata. Inhibuit tandem & revocavit Julianus Imperator. Meurſius *cit. tr.* .*L* 5 .cap. VII. C. Theodoſ. *de ſepulcr. violat.* Gronovius *d. Tom.* XI. p. 1095. D. E. p. 1241. D. Quenſtedius *de ſepulturis Veter.* cap. VI. Nec aliter factitatum Romanis invenio, niſi in funere pauperum, quæ veſperi fiunt. Meurſius cap. VIII.

(*c*) Præclara ſunt loca Senecæ *de brevitate vitæ* cap. XX. *de Tranquillit. Vitæ* lib. I. cap. XI. *&* *Epiſt.* CXXIII. Laurentii *de Funere* cap. V.

(*d*) Plinius lib. XVI. cap. XXXVII. Meurſius *de Funere* cap. XXIV. Gronovius *Antiquit.* Tom. XI. p. 1118. E. F.

(*e*) Andreas Quenſtedius *de Sepultura Veter.* cap. VI. Feliſacus *Select.* lib. I. cap. XVI. Chriſtophorus Mariellus *de Sacris Ceremon.* lib. I. Sect. XV. cap. XI.

(*f*) Niederſtet *in Melita nova & Vetere* lib. II. cap. V. (in Tomo VI. *Gronoviano.*)

(*g*) De hoc fuſius apud Gronovium *Antiquit.* Tom. VII. p. 48. B.

(*h*) Du Pin *dans la Bibliotheque Eccleſiaſtique* Tom. II. p. 772. ſqq.

(*i*) Meurſius *de Funere* cap. VI. Gronovius d. Tom. XI. p. 1094. C.

I X.

Ab eo tempore, quo cremandorum corporum mos invaluit, campos ignibus atque facibus illuſtres conſpicimus. Multa præclare de hac antiqua corporum cremandorum ratione diſſerit Meurſius *de Funere* cap. XXV. XXVI. XXVII. Laurentius *de Funer. Antiq.* cap. I. II. fin. & IV. Claſenius *in Theologia gentili Part.* I. *cap.* X. §. III. IV. Non poſſum non pauca adducere. Originem & autorem cremationis corporum quod attinet, (*a*) Romani a Græcis acceperunt, Græci ab Hercule, qui primus omnium Argium Lycumnii filium mortuum cremavit. Sic tranſiit ille ritus ad omnes gentes fere moratiores. Antiquiſſima Didus pyra apud Carthaginienſes quid magis inclytum? (*b*) de corporum cremandorum apud Macedones ritu an-

nales Græcorum prædicant. (*c*) Romanorum Imperatorum ἀποθεώσεως ritus ad rogum peractus, e quo aquila in aërem emiſſa, quæ animam Imperatoris in cœlum transferre credebatur. (*d*) Deinde concremata corpora non ſolum Regum Imperatorumque & nobilium verum etiam infimæ plebis. Brachmanes Indici, quorum exemplo Attila ſe concremare voluit, (*) cremandorum corporum ritum ſtudioſe ſervarunt. Thraces non mortuos tantum immittunt rogo, ſed quandoquidem etiam defunctorum chariſſimæ ſe concremarunt. (**) De cremandorum corporum apud Gallos ritu, non uno loco Cæſar ſcriptum reliquit. (*e*) Sunt, qui ex *Jeremiæ capite* XXXIV. *vſ.* 4. 5. *Chronicorum lib.* II. *cap.* XVI. *vſ.* 14. *&* *Samuelis libro* I. *cap.* XXXI. *vſ.* 12. colligunt, Hebræorum quoque corpora nonnunquam com-

combuſta Romanorum & Græcorum more. (*f*) Vocant alii in dubium. (*g*) De eo tamen res eſt expedita, Hebræos, corpora licet non combuſſerint, circumquaque tamen aromata incendere ſolitos fuiſſe. Argumentum huic rei præbent ſcripturæ ſanctæ loca nonnulla, qualia ſunt 2 *Chron.* XXI, *vſ.* 19. *Ierem.* XXIV. *vſ.* 5. *Amos* VI. *vſ.* 10. (*h*)

NOTÆ.

(*a*) Meurſius *de Funere* cap. X. Gronovius *Antiq. Tom.* XI. p. 1097. B. C. Apud Romanos non omnes cremavere, nam ſervatus a multis adhuc familiis ſepeliendi mos priſcus, adeoque in gente Cornelia ante Syllam crematus nemo, teſte Plinio *lib.* VII. *cap.* LIV. Poſtea omitti plane crematio cœpit, Macrobius *Saturnal.* lib. VII. cap. VII. Quod tamen, uti nonnullis perperam viſum, ad Antoninorum tempora referri nequit. Ne quidem florente adhuc cremationis ritu illi combuſti, qui violentas ſibi manus intulerant, aut naufragio perierant. Meurſius *de Funere* cap. XVIII.

 (*d*) Py-

(*b*) Pyram (qua de voce conſulendus Meurſius *de Funere* cap. xxv.) Didonis carmina antiquorum prædicant. Notiſſimi ſunt verſiculi Virgilii. Appono carmen Funebre Silii *Punicor.* lib. VIII. vſ. 50. ſqq.

Iliaco poſtquam deſerta eſt hoſpita Dido
Eſt ſpes abrupta, in mediis penetralibus atram
Feſtinat furibunda pyram: tum corripit enſem
Certa necis profugi domum exitiale mariti
Deſpectus tæda regnis ſe imponit Hiarbas
Et tepido fugit Anna rogo.

Hæc poëta more poëtarum. Potius Eliſſa Hiarbæ nuptias aſpernata bellum rebus adhuc naſcentibus & teneris exitioſum fore videbat. Tempore ad deliberandum ſumpto, quaſi ad nuptias animum àdduxiſſet, rogum extrui curavit, ac Sichæo inferias ſe daturam antequam novum matrimonium ingrederetur dixit. Freinshemius *in Supplementis Livianis* lib. XVI. cap. II.

(*c*) Crophius *in Antiquit. Macedonicis* lib. I. cap. XXVII. & lib. II. cap. V. fin.

(*d*) Illuſtrat Guichard *de Funerailles & diverſes manieres d'enſevelir.* liv. I. chap. XIII. XIV. Appoſita effigie p. 179. c. l. adductiſque variis de conſecratione illa nummis p. 182.

(*) Bon-

(*) Bonfinius *Rerum Hungaricar. Decad.* I. p. 118.

(**) Barthius *Adverſariorum* lib. XV. cap. VI.

(*e*] Quenſtedius *de Sepulturis Veter.* cap. VII. Gronovius *Antiquit.* Tom. XI. p. 1259. D. E. F.

(*f*) Guichard *des Funerailles & diverſes manieres d'enſevelir* liv. III. chap. XI. p. 501. ſq. In cujus ſententiam eunt Magius *Miſcellaneorum* lib. III. cap. XI. Tarnovius *ad Amoſum* p. 167, aliique.

(*g*) Negant Gejerus *de luctu Hebræorum* cap. VI. §. VIII. IX. X. XI. Balherrus *Electorum* lib. II. cap. XXIV. Pfeifferus *in Antiquit. Ebræor.* cap. V. Operum Tom. II. p. 1001. Combuſſerint forte Jabeſitæ cadavera Saulis filiorumque hac de cauſa, ne ſepulta & aromatibus condita a Bethſanis incolis raperentur iterumque e mœnibus ſuſpenderentur. Sed vid. Buddeus *in Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt.* Part, II. p. 117.

(*h*) Oſtendit Clericus *in Comment. ad Chron. lib.* II. *cap.* XVI. vſ. 14.

X.

Demum ipſis ſepulcris adhibitæ lucernæ. Terrorem loci religioſi augere videbatur modicum lumen (*a*) & ipſam amicorum pietatem ar-

arguere. De ſepulcralibus Veterum lucernis complures ſcripſerunt. Hos inter Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco & Mundo Subterraneo*, Bonanni *in Muſæo Kircheriano Claſſ.* IV. p. 128. (de quo videatur *Neuer Bücher Saal der gelehrten Welt* & Giornale de Letterati d'Italia Tom. VIII. p. 246.) Ferrarius *de lucernis ſepulcralibus* (quem Grævius *Antiquitatum. Tom.* XII. inſeri curavit.) Bellorius *in Commentar. ad* Sanctii Bartolii *Sepulcra Vet. ſive Mauſolea Romanorum & Etruſcorum* apud Gronovium *Antiquit. Tom.* XII. p. 1. Novarinus *in Schediaſm. Sacro. Prophan.* lib. I. cap. XIII. XIV. XV. XVI. & Licetus *de lucernis ſepulcralibus* eminent. Sed ipſa res ulteriorem hoc loco diſquiſitionem efflagitat, quippe quæ ne Chriſtianis quidem prioribus a Chriſto nato ſeculis incognita fuerit, dum ad ſepulcra martyrum lucernas accenderent. (*b*) N O-

NOTÆ.

(*a*) Terrorem loci modicum augere lumen dico. Hoc præſertim de ſepulcris, oraculorum antris & ſacris magicis Deorum Manium verum. Sanctuaria oraculorum tenebroſa in Cavernis montium Oraculi puta Delphici, Dodonæi, Pithiæ pingit Fontenelle *des Oracles Diſſ.* I. *cap.* XII. p. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. & ſupra quoque monui. Magica ſacra Diis Manibus facta noctu res eſt nota, iiſque adhibita lucerna, pelvis, aqua, pila, lapilli ſurculi. Joſephus *de Variis gentil. Sacris* cap. XIV. p. 205. A. Plutoni quoque ara ſub terra condita, teſtis inſcriptio apud Græviam *Antiquit. Tom.* XII. p. 846. E. De horrore lucernarum in ſepulcris audi Petronium. Nobiliſſimam, forma præſtantem eandemque caſtiſſimam memorant matronam quandam Epheſiam, quæ immodico luctu ex obitu mariti affecta funus non ſolum gemitu, lacrimis & crinibus paſſis proſecuta, ſed quoque ſepulcrum ingreſſa fuerit ubi exuviæ mariti conditæ. Integros ibi dies permaſiſſe legitur, ancilla lucernam tenente. Demum militem, qui latronem patibulo affixum, ne quis raperet, cuſtodiebat, acceſſiſſe ad ſepulcrum. Horrore luminis confectum & ſpectrum pervagari ſepulcrum exiſtimantem conſtitiſſe: ingreſſum

greſſum denique ac prope fœminam mœſtiſſimam conſediſſe. Cibum ut ſumeret & corpus curaret hortatur ac perſuadet. Lacrymis abſterſis, quo poteſt modo conſolatur, tentat pudorem, tandem ſtupro polluit. Cadavere latronis interim rapto & ultimum ſupplicium milite metuente, muliercula, quæ paullo ante a defuncto marito avelli non potuerat ſuadet hortaturque, ut tollat mariti cadaver & patibulo ſuffigat, ne quam negligentiæ ſuæ rationem reddere teneatur. Rachelet *dans ſes Lettres Tom.* II. p. 221. 222. 223. 224. 225.

(*b*) De lumine, lucernis in funere atque ſepulcris Chriſtianorum pluribus egit Baronius *Annal. Eccleſ. ad ann.* XXXIV. n. 311. *ad ann.* XLIV. n. LXXXVIII. *ad ann.* CCLXI. n. XXXVI. Græviús *Antiq.* Tom. XII. p. 1000. E. Cum primis lumina accenſa ſupra ſepulcra martyrum, uti annotavit Meurſius *dans l'Etat de la Religion dans les Gaules liv.* IV. p. 449. de Funere Conſtantini Magni videndus Quinſtedius *de Sepultur.* cap. V. & Gronovius *Antiquit. Tom.* XI. p. 1138. D. Seculo demum quarto concilium habitum, quod lumina in ſepulcris ſive ad ſepulcra accendi prohibet. Clerc *dans la Bibliotheque Univerſelle* Tom. VIII. p. 357.

X I.

Lucernæ in ſepulcris accenſæ ſuſpenſæque ab Ægyptiis, Græcis, Romanis aliiſque. Ægyptii, quos lucernarum inventores prædicat Euſebius, (*a*) reliquis ferme palmam præripiunt; ſi luminis cultum ſpectes. (*b*) Delubra Ægyptiorum, dies feſti, uti luminibus lucerniſque illuſtres fuere, ita non minus cryptis ſepulcriſque illuſtrandis laborarunt. De ipſis cryptis ſubterraneis nihil omnino dico, delineari curavit Athanaſius Kircherus; (*c*) His cryptis additæ lucernæ ſepulcrales, quæ corporibus defunctorum perpetuo affulgerent. Romani columnas poſuerunt cum imagine Mercurii qui inferis Diis annumerari ſolet. His appenſa lucernæ, lumina, quod de Masgabæ tumulo refert Sue-

toni-

tonius. (*d*) Scopus qualis fuerit Ægyptiorum in accendendis lucernis ſepulcralibus, ſi quæras, hæc habe: monſtrare volunt, quod ſicuti ignis naturæ Deorum operationibus ſimillima eſt, ita Numina quoque cuſtodiæ corporis deputata ob abditam quandam ſympathiam conſenſumque, quem ad eundem obtinent; veluti ſenſibili quodam divinitatis ſymbolo tum ad depoſiti tutelam perennemque præſentiam, tum ad animæ perpetuam illuſtrationem attracta hiſce aſſiſtere. (*e*)

NOTÆ.

(*a*) Euſebius *de Præparat. Evangel.* lib. x. cap. 11.

(*b*) De luminum apud Ægyptios cultu hæc præſertim affero. Ægyptii Iſidem, Oſiridemque Deos cœleſtes & igneos quoſdam Deos *lucernis*, *luminibus*, *lampadibus*, *herbis*, *lignis*, *aqua*, *floribus*, *volucribus ſolem ignemque affectantibus*, *figuris quoque radios ſolis imitantibus* colebant. Kircherus *in Oedi-*

po

po Ægyptiaco Tom. I. *Synt.* III. cap. x. p. 235. Nil deinde lucernarum apud Ægyptios feſto celebrius. Dicebatur Typho, occiſo Oſiri univerſam Ægyptum tenebris & denſa caligine offudiſſe, quo portento exterriti ſacerdotes Ægyptiorum oraculum conſuluere, quid faciendum in re miſera? Reſpondit oraculum, non deſituram caliginem, niſi Oſirim a Typhone occiſum frequenti lucernarum fulgore placarent: quod ubi factum, deſiderata lux rediit. Tum Sain urbem petunt, ac noctu ſub dio lucernas univerſi accendunt, & per totam Ægyptum circa domos diſponunt. Nomen huic feſto *Λυχνοκαΐη*. Kircherus *c. tr. Tom.* III. *Synt.* xx. cap. I. p. 530. Adde de lucernis in hoc Ægyptiorum feſto tam ſolennibus, quam myſticis Licetum *de Reconditis antiquor. lucern. lib.* VI. *cap.* CXIII. ---- CXXIV. *à pag.* 1176. uſq. ad pag. 1247. (*edit. Utini ann.* 1652. fol.) Sunt præterea, qui dicunt, Ægyptios hoc feſto comitatos Iſidem Oſiridem quærentem. Nec deerant lamenta ploratusque ab hujuſmodi ſolennitate. Alii quoque ad Moſis tempora tenebrasque juſſu Dei obortas referunt. Kircherus *d. Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* I. p. 532.

(*c*) Multa de cryptis habet Kircherus *Tom.* III. *Synt.* XIII. *cap.* IV. p. 399--410. quibus addere de meis operæ pretium non exiſtimo.

(*d*) Suetonius *in Auguſto cap.* XVIII. pluribus illuſtrat Meurſius *de Funere* cap. XXXI. cum primis Grævius *Antiquit. Tom.* V. *p.* 532. *E. Tom.* XII. *p.* 1013. C.

(*e*) Kircherus *Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* III. §. IX. p. 549. Hanc ſubeſſe cauſam exiſtimant, alias quoque allegarunt Viri docti apud Licetum *de Reconditis Veter. Lucernis* lib. II. cap. LIV. & ſeqq. Grævium *cit. Tom.* XII. p. 1018. C.

XII.

Lucernarum diverſa genera fuerunt. (*a*) Tam pendulas quam poſititias videmus, (*b*) fuerunt tum πολύλυχνοι, id eſt pluribus myxis inſtructæ, tum unico. (*c*) Τετράμυξον in ſolemni Comaſiorum pompa circumferebant, (*d*) imo Δωδεκάλυχνος lucerna in cryptis haud dubie duodecim Ægypti numinum Principum honori conſecrata fuit. (*e*) Mycerini Ægyptiorum Regis lucerna multiplex narratur. (*f*) Nec tantum ipſæ lucernæ diverſæ, ſed varius quoque illarum ornatus fuit. Vario hieroglyphicorum

rum apparatu inſtructas Viri antiquitatis peritiſſimi pingunt. (*g*) Lucerna ſepulcralis Galvania mirum in modum ritus mortuales præſentat. (*h*) Sunt lucernæ ſepulcrales, quæ ſiſtunt aram ſive columnam, ſuper quam ignis accenſus & Diis Manibus conſecratus. (*i*) Aliæ quadrigarii victoris imaginem, (*k*) bigas cum victoria aliæ oſtendunt. (*l*) In Nonnullis ſol, luna cum ſeptentrionibus effulget. (*m*) Veſta manu *tædam* tenens, (*n*) Pallas victrix (*o*) imo nudæ Veneris imago (*p*) in iiſdem conſpicitur: & quis narrare ſingula, aut univerſum lucernarum ſepulcralium ornatum proſequi poſſit?

N O T Æ.

(*a*) Explicat Licetus *de Lucernis Veterum Reconditis* lib. III. cap. XII. p. 218. & Gutherius *de jure manium* lib. II. cap. XVIII. quot fuerint lucernarum reconditarum genera? de forma

ma lucernarum apud Ægyptios in ſacris, delubris, adytis, cryptis ſubterraneis Kircherus *in Oedipo Ægypt. Tom.* III. *Synt.* XX. cap. II. p. 553. & ſeqq. copioſe dixit. Brutorum ad ea forma nonnullæ fuerunt. De *lucerna Bovis figura in Apidis fano*, nec non de illa quæ bovino capite fuit, agit Kircherus *d. Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* III. p. 538. §. 2. de *lucerna Canina* aut Κυνομόρφῳ Kircherus *d. cap.* III. §. IV. p. 540. legi poteſt. *De lucerna Sphingis*, (quæ utrum lucernæ uſum habuerit, ignorat Kircherus. *cit. cap.* III. §. V. p. 541.) complura narrat Fortunius Licetus *c. tr. lib.* VI. *cap.* XLIV. p. 836. De *Typhonia lucerna*, de *lucernis phallicis* Kircherus *cit. cap.* III, §. VI. VII. p. 542. dixit. Reliqua brevitatis ergo omitto.

(*b*) Kircherus *Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* II. p. 536.

(*c*) Kircherus *cit. cap.* II. p. 535.

(*d*) Kircherus *Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* III. §. III. p. 539.

(*e*) Kircherus *cit. cap.* III. §. VIII. p. 544.

(*f*) Herodotus *in Euterpe* cap. CXXIX. Licetus *cit. tr. lib.* I. *cap.* XIII. Imaginem ejus appoſuit Licetus p. 23. is Mycerinus tum ſibi tum cadaveri filiæ lucernas affabre factas ante bovem, cui cadaver filiæ incluſerat, poſuit. Deſcribit ad longum ex *Herodoto* Kircherus *d. cap.* III. §. I. p. 537.

(*g*) Kircherus *Tom.* III. *Syntag.* XX. *cap.* II.

II. p. 534. de ſimulacris, imaginibus, inſcriptionibus figuras complures Licetus lib. III. cap. XI. p. 194. ſqq. exhibet.

(*h*) Licetus lib. VI. cap. IV. V. VI. VII. ſqq. univerſum ejus ornatum explicat.

(*i*) Apud Bartolium *de lucernis Veterum Sepulcralibus* Fig. XIX. p. 18. apud Gronovium Antiquit. *Græcar.* Tom. XII.

(*k*) Bartolius *cit. l. fig.* XXVI *p.* 25. *Part.* I.

(*l*) Bartolius *Fig.* XXIX. *p.* 29. *Part.* I.

(*m*) Bartolius *Part.* II. *Fig.* XII. *p.* 55.

(*n*) Bartolius *Part.* II. *Fig.* XXXI. *p.* 67.

(*o*) Bartolius *Part.* II. *Figura* XXXVII. XXXVIII. XXVIX. p. 71. ſqq. Licetus *de Reconditis Veter. Lucernis* lib. VI. cap. XLVII. add. Gronovium Antiquit. *Græcor.* Tom. XI. p. 1347. C.

(*p*) Ea de cauſa nudam Venerem expreſſam exiſtimo, quoniam in lupanaribus veterum lucernæ accendebantur. Licetus *lib.* VI. *cap.* LXI. p. 914. C. & *cap.* LXXX. Schacchus *in Myrothec. Sacror. Eleochriſm. lib.* I. *cap.* VII. & LIV. Caſalius *de Veterum Rit. Sacro-proph. cap.* XXV. p. 79.

XIII.

Ergo cryptæ ac ſepulcra gentilium igne lucerniſque effulgent. Sed nunc ſolvendus Gordius nodus de ſempiternis veterum lucernis.

nis. Res eſt dubia, anceps, ambigua, quæ multum impedivit viros doctiſſimos. Ego, quæ de hac materia collegi, quam poſſum, brevitatem complectar. Refertiſſimi ſunt annales veterum; ſi de lucernarum ſepulcralium igne perpetuo diſquiras. Quid quæſo *lychno Athenienſium*, qui in arce Athenarum oleo inextincto ardebat, magis inclytum? (*a*) Lucernam *Jovis Ammonis* mirabili & diuturno igne fulgentem omnes veterum annales prædicant. (*b*) *Lucernam Antiochenam* inextinguibilem inque fano Veneris ſub dio ardentem, ita ut nulla tempeſtas illam extingueret, miraculum & veteres & recentiores exiſtimant. (*c*) *Lucernam Edeſſæ inextinguibilem*, quæ poſt quingentos annos imperante Juſtiniano reperta una cum imagine Chriſti, divinis propemodum laudibus Græci mactaverunt. (*d*) *Lucernæ Ferentillæ* in

agro

agro Viterbienſi. (*e*) *Lucernæ Olybii Ateſtina* & *Neſidea*, (*f*) *Lucerna Hectoris*, (*g*) *Salernitana*, (*h*) *Prytanæi*, (*i*) *Delphica*, (*k*) *Munychiæ* Athenienſium portus (*l*) *aliæque*, (*m*) quas ſempiterno igne flagraſſe referunt, omni laude majores exiſtimantur.

N O T Æ.

(*a*) Hæc ex Meurſio *in Cecropia cap.* XX. & XXI. Dedicaverat Erichthonius in arce Athenarum Minervæ aram & ſimulacrum, nomine Minervæ τῆς πολιάδος, cui lychnus oleo inexſtincto ibidem ardebat. Adde Meurſium *de Regibus Atticis* lib. II. cap. I. Licetum *de Recond. Antiquor. lucern.* lib. I. cap. IV. p. 10. & Strabonem lib. IX. *in hac verba:* ὅτε ἀρχαῖος νεὼς ὁ τῆς πολιάδος. ἐν ᾧ ὁ ἄσβεστος λύχνος. Lychnus ille factus ex auro, Callimachi opus; & annum totum ſemper ardens ſervabatur. Indebatur autem ei e lino carpaſio funiculus; ſupra palma erat ænea ad lacunar uſque perducta, quæ nidorem excipiebat. Sed vide Pauſaniam *in Atticis.* ibi: λύχνον δὲ τῇ θεῷ χρυσοῦν Καλλίμαχος ἐποίησεν. ἐμπλήσαντες δὲ ἐλαίȣ τὸν λύχνον, &c. &c. Cæterum an in ſepulcris Græcorum lucernæ fuerint inextinguibiles diſquiritur

ritur

ritur apud Græviun *Antiquit. Roman.* Tom. IX. p. 391.

(*b*) Licetus *lib.* I. *cap.* V. p. 12.

(*c*) Licetus *lib.* I. *cap.* VI. p. 13. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* XXI. *cap.* VI. Kircherus *in Mundo ſubterraneo Tom.* II. *lib.* VIII. Sect. III. cap. I. p. 69. A. (*edit. Amſtalod.* 1665. in med. fol.)

(*d*) Licetus *lib.* I. *cap.* VII.

(*e*) Licetus *lib.* I. *cap.* VIII.

(*f*) Licetus *lib*, I. *cap.* IX. X.

(*g*) Licetus *lib.* I. *cap.* XII.

(*h*] Gruterus *in Volum. inſcript.* p. 1148. n. XVII.

(*i*) Licetus *lib.* I. *cap.* XXVIII. p. XXXVII. & *lib.* IV. *cap.* XIV. p. 434.

(*k*) Licetus *lib.* I. *cap.* XXIX.

(*l*) Licetus *lib.* I. *cap.* XXXI.

(*m*) Apud eundem Licetum *lib.* I. *cap.* XIV. XV. XVIII. XIX. & XXXII.

XIV.

Harum lucernarum æternum ignem, tanquam pro aris & focis pugnaret, aſſerere voluit Licetus, *Bonamicum*, *Auguſtinum*, *Gutherium*, *Portam Neapolitannm*, *Citeſium*, *Lazium*, *Libavium*, tanquam hujus admirandi luminis ignaros

gnaros integro libro II. de reconditis veterum lucernis perſtringit, ac deinde libro III. de natura, cauſis ac proprietate ignis lucernarum perpetui diſquirit. Sed certe lubricum & vix ſatis a quoquam explicatum argumentum. Quid enim pro ſtabilienda autoritate ignis perpetui certum afferri poteſt? At, inquiunt, nonne *lucerna Pallantis* tempore Imp. Henrici anno MCCCCI. ab Agricola ad Tyberim prope Romam una cum Pallantis cadavere reperta, & perpetuo igne a bis mille & amplius annis ardens, (*a*) argumentum omni exceptione majus? addunt lucernam tempore Pauli III. Pontif. e ſepulcro *Tulliolæ Ciceronis filiæ* ad Viam Appiam erutam & a mille ſeptingentis fere annis flagrantem. (*b*) Eſto ergo, & quid inde? arſerint lucernæ; arſerunt vel 1) miraculoſe uti lucerna Antiochena (*c*) vel fraude Dæmo-

nis. (*d*) Vel 11) potuit affulſiſſe ſpectatoribus in recludendis tenebris tumuliſque pellucidum eorum, quæ in tenebris fulgent. (*e*) Fuerint demum in illis lucernis pulveres aut liquores, qui ab aëre ingrediente, dum ſepulcra aperirentur flammam tum primum conciperent. (*f*)

NOTÆ.

(*a*) Hæc Pallantis lucerna, nec flatu, nec aquæ alteriuſve liquoris affuſione extingui potuiſſe dicitur. Sed caſu rupta lucerna, ac effuſo liquore flamma evanuit. Kircherus *in Oedipo Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* IX. p. 545. Martinus *Chronicor.* lib. XII. cap. LXVII. Licetus *de Lucernis Recondit. Antiquor.* lib. I. cap. XI.

(*b*) Hæc Tulliolæ lucerna aëris ſubeuntis ingreſſum ferre non potuit. Flamma ergo ubi comparuit, diſparuit. Kircherus *cit.* I. p. 545. Licetus *lib.* I. *cap.* II. p. 8. *lib.* IV. *cap.* IV. p. 267. *lib.* V. *cap.* IV. p. 523.

(*c*) De qua *præc.* §. XIII. hæc ſcribens veſtigia Kircheri ſequor.

(*d*) Ita ſentit Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* XXI. *cap.* V. VI. quem acerrimus lucernarum perpe-

perpetuarum defenſor Licetus lib. II. cap. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. hoc nomine vellicat. Kircherus d. §. IX. p. 546. addit: *Lucernas perpetuas putatitias (quæ in ſepulcris gentilium incerti alicujus numinis cultum poſitæ & deinceps caſu repertæ,) tales fuiſſe, non quod igne perpetuo arſerint, ſed quia Dæmon vel ad primum ingreſſum talem ſpeciem obtulerit.*

(*e*) Hæc Bonamici fuit ſententia, quam perſtringit Licetus *lib.* II. *cap.* II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

(*f*) Jacobus Gutherius *de jure manium lib.* II. *cap.* XXXII. ſcriptum reliquit. Hunc quoque pro more Licetus *d. lib.* II. *cap.* XIX. XX. XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. perſtringit.

X V.

Ego quidem cum Kirchero exiſtimo, naturaliter confici lucernam perpetuam non poſſe. (*a*) *Omne enim quod in vaporem fumi reſolutum tandem contabeſcit, perenne eſſe non poteſt. Atq. ignis &c. ergo.* Sed negant minorem, qui Licetum ſequuntur. Dari, ajunt, in rerum natura ſpecies, quæ ad æqualitatem igni reſiſtunt, (*) urgent-

gentque argumentum inductione empyrica Asbeſti, Amianthi, auri potabilis, neſcio cujus. Sed mirum, ab his curioſis rerum ſcrutatoribus Asbeſtinos lychnos, quibus lucernæ eorum genio conſtructæ, nunquam repertos. Vocari in dubium nequit, quod ſi ulla res in rerum natura perpetui luminis τέχνασμα præſtare poſſit, id Aſbeſtum Amianthumque præſtare. (*b*) Sed quicquid blaterent Pſeudotechni, (*c*) de oleo ex Asbeſto extrahendo dubium ſummum & ſummis Chymicis fruſtra tentatum; unde deſperato negotio dicendum, ejuſmodi olei extrahendi myſterium ſi non ἀδύνατον; ſaltem difficilius eſſe, quam ut ad illud humanæ operationis induſtria pertingat. (*d*) Potuit ergo naturali caſu e ſepulcris lumen fulgere. Cum enim aër temporum longitudine incluſus exhalantium corporum pinguedine infectus

fectus fuerit, facile ad primum ſubeuntis novi aëris acceſſum per antiperiſtaſin accendi potuit; idque experientia in cœmeteriis docet, ubi hujuſmodi flammæ plerumque cernuntur: & foſſores metallorum fatentur, vix unquam novas cavernas ſe aperire, quin hujuſmodi flammæ erumpunt. (*e*)

N O T Æ.

(*a*) Kircherus *in Oedipo Tom.* III. *Synt.* XX. *cap.* III. p. 547. & *in Mundo ſubterraneo Tom.* II. *lib.* VIII. Sect. III. cap. I. p. 69. B.

(*) Kircherus *in Mundo ſubterran. Tom.* II. lib. VIII. Sect. III. cap. I. p. 71. 72. Licetus *de Recond. Antiq. lucern.* lib. III. cap. I. II. III. ſqq.

(*b*) Kircherus *in Mundo ſubterr.* d. cap. I. p. 71. A.

(*c*) Idem *in Mundo ſubterran. Tom.* II. *lib.* XII. Sect. V. *Part.* I. *cap.* VII. *can.* VIII. p. 436. A.

(*d*) Kircherus *in Mundo ſubterr. Tom.* II. lib. VIII. Sect. III. cap. I. p. 68. A. Cæterum *in Oedipo Ægypt. Tom.* III. p. 547. fatetur, ſe lychnum ex Amiantho jam a biennio in

lu-

lucerna ſua ardentem videre neque deſiturum exiſtimare.

(e) Idem *in Oedipo d. Tom.* III. p. 548. & *in Mundo ſubterr. Tom.* II. p. 70. A.

X V I.

Quid ergo de Ægyptiorum lucernis ſempiternis ſentiendum: Fuiſſe multa loca in Ægypto bitumine & petroleo inexhauſtæ multitudinis referta Hiſtorici ſummi narrant. Ægyptii occulta naturæ molimina penetrantes e puteis ſimilibus occultos canales in ipſas cryptas ſubterraneas derivare potuerunt, ubi & lucernam adaptabant, quæ canali pinguedinis vehiculo inſerto continuo aliunde devecti liquoris, quo Asbeſtinus & inconſumptibilis lychnus ſe myxus lucernæ inditus inebriabatur, ſuctu nutriebatur. Cum itaque liquoris oleacei affluxus perennis eſſet & ſtupa Asbeſtina inconſumptibilis, perpetuo conſequenter lumen durare neceſſe erat.

rat. (*) Hæc ſunt, quæ de Cultu ac uſu Luminum in ſepulcris dicenda exiſtimavi. Tu B. L. his utere ac vale.

N O T Æ.

(*) Kircherus *in Mundo ſubterraneo Tom.* II. lib. VIII. Sect. III. cap. I. p. 73. & *in Oedipo Ægyptiaco Tom.* III. *Synt.* XX. cap. III. p. 548.

F I N I S.

ADDENDA AD CAP. I.

Candelabrum Ebreorum in tabernaculo fœderis in lucernis ſuis ſacris Chriſtianorum priſci exprimi curaverunt. Sanctius Bartolius *de lucernis ſacris Chriſtianorum* Fig. XXXII. XXXIII. apud Gronovium *Antiquit. Tom.* XIII. p. 103.

AD CAP. VIII.

Non tantum monetis ſuis lucernas victores adjecerunt, ſed lucernis quoque victoriæ imaginem. *Prius* comprobat nummus admirabilis Heraclii Imperatoris Triumphantis in quo lucernæ quatuor effulgent apud Lipſium *de Cruce* lib. III. cap. XVI. & Licetum *de lucernis Recond.* lib. VI. cap. LXXIX. *poſterius* imago VICTORIÆ cum TROPÆO, VICTORIÆ INFERIARUMQUE & VICTO-

CTORIÆ GLOBO INSISTENTIS. apud Bartolium *de lucern. Veter. ſepulcral.* Part. III. Fig. II. III. IV. VI. p. 79. 80. 83. 84.

CORRIGENDA.

Pag. 65. lin. 13. leg. Thalia. p. 73. l. 17. l. *Agelaſto*. p. 84. l. 24. l. timens. p. 97. l. 20. l. Claſenius. p. 121. l. 1. l. milit. p. 216. l. 2. l. *tuum donum*. p. 219. l. 5. l. quae p. 267. l. 2. l. quae. p. 273. l. 18. l. luſtrabant. lin. 20. l. offerebant. p. 280. l. 12. l. venerabantur. p. 314. l. ult. l. gladiator.

Leviora, ſi quae forte legantur errata Typothetarum, ut Candidus Lector emendet, ſi commodum erit, rogamus.

SPECIAL 93-B
4672

THE GETTY CENTER
LIBRARY